

I. N. J.
DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
AUTHORITATE
SCRIPTURÆ SACRÆ.

Quam
PRÆSIDE
VIRO PLURIMUM REVERENDO, AMPLISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO
DN. JOHANNES MEISNERO,

SS. Theol. D. & Prof. P. celeberrimo, Alumnorum Ele-
ctoralium Ephoro gravissimo.

DNO. PRÆCEPTORE, PATRONO AC PROMOTORE SUO REVE-
RENTER COLENDO AC DEVENERANDO,
publicè defendet.


M. JOHANNES MICHAEL Strauß

Witteberg, Collegij Philosophici Adjunctus.

A. & R.


In Auditorio Majori

d. 23. Augusti



WITTEBERGÆ

TYPIS JOHANNIS HAKEN.



Coll. diss. A
200, 2

844. A 200 (2)

VIRIS

*Admodum Reverendis, Amplissimis, Excellentissimis
pietate & doctrina undiquaque celeberrimis*

DN. JOHANNI SCHARFFIO,

SS. Theol. Doctori & Professore Publico, Collegii Theologi Seniori venerando, ut & templi Cathedralis Præposito meritissimo.

DN. ABRAHAM CALOVIO,

SS. Theol. Doctori & Professore Publico, Consistorii Ecclesiastici Assessori gravissimo, Ecclesiæ Wittenbergensis Pastori, ut & Circuli Electoralis Saxon. Superintendententi Generali vigilantissimo.

DN. JOHANNI MEISNERO

SS. Theol. Doctori & Professore Publico, Alumnorum Electoralium Ephoro gravissimo.

DN. ANDREÆ KUNADO,

SS. Theol. Doctori & Professore Publico, Facultatis Theologicæ hodiè Decano Spectatissimo, Consistorij Ecclesiastici Assessori ut & Alumnorum Electoralium Ephoro gravissimo.

Dominis Præceptoribus, Promotoribus ac Patronis
submisse ac reverenter colendis

*Exercitium hoc debite observantia et
gratitudinis ergò*

D. D. D.

M. JOHANNES MICHAEL Strauß/
Wittemb. Colleg. Philosoph. Adjunctus.
A. & R.



In Nomine JESU. PRÆLOQVIUM.



Inter alia gravissima monita atque Præcepta, quæ D. Paulus Timotheo Discipulo suo præscripsit, non ultimum obtinet locum Scripturæ Sacræ diligens lectio, cum, *Sacræ literæ*, scribit, *possunt te (σοφίαι) Sapientem reddere ad salutem per fidem, quæ est in Christo JESU. Timoth. 3. 15* Ubi τὸ σοφίαι significat sapientem reddere, non terrenam quâdam

sapientia, sed quæ salutem docet æternam per Christum nobis partam, explicante *Baldwin. in Comment. suo in h. l. p. m. 637*. Simile Davidis monitum fuit, qui, cum jam morti proximus esset, Salomonem filium hortabatur, ut mandata & testimonia DEI in S. literis contenta maximè sibi curæ esse sineret. *Ecce, inquit, ego decessurus sum brevi pro consuetudine totius terræ, tu verò confirmaberis & Vir futurus es, Et observabis observationem Jehovæ DEI tui, ambulando in viis ejus, servando statuta ejus & præcepta ejus, judiciaq; ejus & testimonia ejus, sicut scriptum est in lege Moysis. I. Reg. II. 2. seq.* Etsi enim rerum longa experientia & juris ac Profanorum sapientum Scriptorum lectio non parum faciant ad Remp. prudenter gubernandam: tamen S. literæ divinam Sapientiã undiquaq; Spirantes in hac parte omnes alios Authores longo post

se intervallo relinquunt, scribit *Luc. Osiander in Comment. in b. l. pag. 532.* Quæ causa est, quod Salomon Sapiëntiam à DEO peteret, *Sapient. IX. 1. seq.* Sacræ enim literæ sunt, in quibus non tantum authorem earundem DEUM loquentem & mysteria captum humanum transcendentia proponentem audimus, siquidem multifariam ac multis modis olim locutum esse DEUM Patribus per Prophetas; in novissimis v. diebus nobis per filium, testatur *Epistolæ ad Ebræos Author cap. I. 1;* sed etiam vitam & salutem æternam reperimus. *Johann. VI. 68.* imò & media ad vitã æternam perducentia. *Hæc enim est vitæ æterna, ut cognoscant Te solum verum Deum, & quem misisti JESUM CHRISTUM,* inquit Salvator *Iob. XVII. 3.* At cognitio veri DEI unde habetur, nisi ex revelatione? *Scrutamini Scripturas,* dicit Veritas, *quia Vos videmini vobis in ipsâ vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testantur de me, cap. V. 39.* *Hæc scripta sunt, ut credatis, & per fidem habeatis vitam in nomine Christi. cap. XX. 31.* Eo enim fine benignissimum Numen scripturas exarari curavit & extare voluit, ut de essentia sua, & voluntate ejus plenè ad salutem nos instruerent. *Quid est,* inquit Hipponensis Episcopus, *Scriptura, nisi quedam Epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam, in qua verba Dei sonant, & Cor DEI discitur.* Et *Gregor. lib. 4. Epist. 40.* Sacram Scripturam literas invitatorias nominat, à Deo per sanctos Viros transmissas, quibus ad æternam Patriam invitamur, videatur *Pl. Reverend. & Excellent. Dn. D. PRÆSES in Disput. de Libro Vitæ, Thes. X.* Unde factum est, quod inter Locos Theologicos Principem Scripturæ S. obtineant. Sufficiat hic adduxisse *Dn. D. Glass. Part. Prim. Philol. Sacr. Epist. Dedicat.* statim ab initio, qui ita scribit: *Inter omnia, quæ in orthodoxis, & Augustinã invariata Confessionem sincerè amplexis piorum cœtibus, sacro sancta habentur, & diligenter excutiuntur dogmata, principem jure merito locum obtinet ipsum dogma de Scripturæ S., quam Biblia appellare vulgò solemus, dignitate summâ, jure sublimi, & autoritate præeminenti.* Quæ cum ita comparata sint, quædam de Scriptura S. disputatione hæc exponere animum induxi. Totam autem doctrinam, & quæ ad eam spectant, pertractare, nimis pro-

prolixum foret, quare saltem de A U T H O R I T A T E ipsius quædam indagare in præsentia, animus est. Quam, cum non tantum Pontificij, sed & alij adversarii labefactare contendant, operam haud perdere videbor. Tu verò, O J E H O V A H, mitte Sapientiam tuam de cælo sancto tuo, & de Throno magnitudinis tuæ, ut mecū sit, & mecum labore, ut sciam, quid acceptū sit coram te omni tempore, Amen.

THESIS.

1. **M**ulta quidem initio proponenda essent de Scriptura S., ut autem brevitati studeam, statim rem aggrediar, præmissis tamen vocabulorum nonnullorum explicationibus, quæ huc omninò facere videntur. *Scriptura* dicitur à scribendi actione, quia verbum D E I vivâ voce antea prolatum ac propagatum ejusdem jussu ac instinctu in literas est redactum *Exod XXXII.16. cap. XXIV.12 cap. XXXIV.1. & 26 Vid. Excellent. Dn. D. PRÆSES Disput. de Libro Vitæ Thes. XI. Sacra* verò appellatur, tum ad distinctionem librorum Profanorum, tum, quia ob suam excellentiam alios Libros antecedit, & ita quidē dicitur, partim à *Causa Efficiente Principali*, quæ est DEUS sanctus, *Es. VI.6. Omnis enim Scriptura Θεόπνευστος est, II. Timoth III.16.* partim à *causa instrumentali*, quæ Sancti D E I homines, *II. Pet. 1. 21.* partim à *materia*, quia mysteria & res sacras continet, *Pf. CV. 42.* partim à *forma*, quæ est majestas sive sensus Scripturæ, qui etiam Sanctus est; partim denique à *sine*, quod hominem sanctificet. *Job XVII.17.*

2. Porro Scripturā S. varias admittere appellationes, tum ex ipso verbo Dei, tum ex Patribus constat, quibus hic operosius exponendis supersedemus. Dicitur enim *Verbum Dei Rom. III.2. Vivus & Efficax Dei sermo Ebr. IV.12. Liber legis. Iohan. I. 8. Liber Iehovæ Es. XXXIV.16. &c. Τροφή Ψυχῆς ἢ γαστήρ* appellatur ab *Athanasio. Communis Medicina animarum*, à *Basilio*. Ab aliis alia sortitur nomina. Ipsi quoq; Pōtificij varia nomina atq; Encomia Scripturæ S. tribuere solēt (quâvis nōnullis Nasus cereus, Fabula, & nescio, quid contrētius in eam dici possit, au-
diat) è quorum numero sunt *Thomas, Toftatus, Durandus, Gersō,*

Andradus, Ferus, Fricius, Bredenbachius, Bellarminus & alii, quos vid. apud B. Gerhard. Exeges. Loc. 16 466. pag 490.

3. Cæterum Scriptura S. variè accipitur. Vel generaliter & improprie, qua ratione non tantum libri Canonici, sed & Apocryphi sub nomine Scripturæ S. veniunt, quomodo *Hieron. Prefat. in Judith*, Nicenam Synodum librum Judith in S. Scripturis numerasse, scribit. Sic *Concilium Toletanum II. Can. 1.* Librum Sapientiæ nominat Scripturam S. *Concilium Tridentinæ* Librum Tobiaë inter Canonicos V. Testamenti Libros recenset, quod idem à *Bellarmino* factum videmus *Lib. 1. de verbo DEI cap. X. §. Primum igitur. pag. 13.* Planè abusive dictus *Bellarminus lib. 2. de Conciliis cap. 12. §. Dico secundo. pag. 36.* Decreta Pontificum Scripturas S. & quidem Canonicas nominat, verba ejus ita sonant: *Dico secundo, Gratianum, etiam hoc errore posito nõ voluisse dicere, decreta Pontificum esse proprie Scripturas S. & Canonicas, ut sunt Evangelia & Psalmi, sed esse Scripturas S. ut distinguantur à Profanis, & Canonicas, ut distinguantur à scriptis sacris Patrum quæ non sunt regule, nec habent auctoritatem obligandi. Licet enim Canones Pontificum & Conciliorum distinguantur, & post ponantur Scripturæ divinæ, tamen suo modo sunt & dici possunt Scripta Sacra & Canonica, quomodo septima Synodus Act. 3. vocat decreta Conciliorum divinitus inspiratas constitutiones. Immo Innocentius ca. cum Martha, extra de celebratione Missarum, vocat Scripturam S. sententiam illam Augustini: Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, sermo. 17. de verbis Apostoli. Hactenus Bellarminus. Plura hæc de re legi possunt apud B. Gerhard. Tom. 1. de Scriptura S. §. 16. & Exeges. Loc. 1. §. 3. 4. pag. 23. 24. §. 107. pag. 220. §. 189. pag. 189. vel deinde specialiter & magis proprie pro libris Canonicis V. & N. Testamenti, exclusis Apocryphis, & ita iterum sumitur vel μερικῶς, distributive, tñ specialissime pro Decalogo à Deo exarato, *Exod. XXXII. 16.* tum specialius pro Exodo *Iob. XIX 36.* ex *Exod. XII 46 Rom. IX, 17.* ex *Exod. IX. 16.* pro Libro Regū *Rom. XI. 2.* ex *I. Reg. XIX 10.* Pro Psalmo *Matth. XXI. 42.* *Marc. XII. 10.* ex *Psal. CXII. 21.* pro libro aliquo Prophetico *Marc. XV. 28.* *Iob. VII. 42.* *Cap. XIX. 37.* *Act. VIII. 32.* tum generaliter, pro toto V. Testa-*

Testa-

4
Testamento, *Matth. XXII. 29. Luc. XXIV. 27. 32. Iohan. II. 22. cap. V. 39. cap. XX. 9. Rom. I. 2. vel ἐλικῶς sive collectivè*, pro Universa Scriptura Canonica tum V. tum N. Testamenti, ut *II. Timoth. III. 16.* de quâ jam nobis disputandum erit.

4. Porro distingvendum *inter Scripturam S. considerata materialiter* sive quoad literas & figuras vocum scriptarum, quas cum aliis scriptis communes habet; & *formaliter* sive quoad sensum & sententiam literis istis comprehensam, qua ratione ab aliis scripturis distingvitur. Quam distinctionem *Pl. Reverend. & Excellent. Dn. D. Carpzov. Syntagm. Theol. Artic. 1. Aphor. 15. pag. 71.* hoc modo exprimit: *Materiale Scripturae S. sunt voces, quibus mentem, sensum ac consilium suum Deus communicavit, & Characteres & literae in textu posita, Ebraeae in V. & Graecae in N. Testamento: formale est sensus divinus vocibus enunciatus & scriptio- ne denotatus.* Eandem *Theologi Augustanae Confessionis contra Rathmannum* in der wiederhohltten vnwiederleglichen Lehre von der H. Schrift punct. 2. pag. 38. ita explicant: *Es ist nicht ohne / Daß man zwischen den eusserlichen vnd innerlichen Wort einen Unterscheid machet / Durch das eusserliche Wort aber / die eusserliche Offenbarung des Worts / in- gleichen die eusserliche schreibung / Lesung / Predigung vnd anhörung Göttlichen Worts: Durch das innerliche wort aber / je bisweilen den innerlichen Sinn vnd meinung / So in den eusserlichen Wort verfasst / je bisweilen aber die in- nerliche auff vnd annehmung / die bewahrung vnd behaltüg des Worts im Herzen / wie nicht weniger / dasjenige selbst davon Gottes Wort redet vnd handelt / als den Kern des Worts / davon (Luc. II. 52. Cap. 8. 15. C. II. 28. Jacob. I. 21.) gelesen wird / Verstanden hat.* Auf die Weise vnd Art möchte man so reden / Aber das ist sehr gefährlich / das jeso zweyerley ganz unterschiedene Wort Gottes oder species vnd Arten des Worts GOTTES / wollen gemacht werden.

5. Qua-

5. Quare inter Scripturam si formaliter sumatur & inter verbum DEI non datur discrimen reale, quod patet, *partim ex identitate materiae*, idem enim verbum quod DEUS locutus est Patribus, literis quoque mandatum est, & quod Apostoli prædicarunt, id deinceps scripto tradiderunt. Conf *i. Corintb. XVI. II. Thessal. II. 15. I. Iohann. I. 3. 4. 5. Quæ Paulus præsens oratione sua dilucidè docuerat, eadem per compendium absens in memoriam revocans Epistolas dedit, scribit Niceph. lib. 2. Histor. cap 34. partim ex Phrasium equipollentia*, ubi dictum & scriptum est inter se permutantur. *Mat. b. I. 22. c. II. 15. c. IV. 14. Marc. XV. 28. Iob. XIX. 36. Rom. IV. 3. c. X. 11. c. XI. 2. Prolixius hoc pertractant Theologi Saxonici l. c. punct. 1. p. 9 & punct. 8. p. 38. seq.* Ubi Verbum DEI & Scripturam S. in ipsa Scriptura permutari inter se demonstrant ex *II. Timoth. III. colat. cum I. Thess. II. 13. Esa. I. 2. Ierem. I. 4. & 9. ex Luc. I. 4. collat. cum II. Petr. I. 19. ex Psalm. XL. 8. Iob. V. 39. collat. cū Rom. I. 16. & aliis infinitis locis.* Tandem concludunt: Erscheinet also / daß Gottes geoffenbahretes Wort vnd die H. Canonische Schrift für einerley genommen vnd gehalten werde: Also zwar vnd dergestalt / daß wir nunmehr von keinen geoffenbahreten Wort GOTTES wissen / auch kein Wort Gottes haben / ohne die H. Schrift vnd ausser der H. Schrift. Gleichwie wir auch keine H. Schrift haben oder erkennen / ohne das von Gott geoffenbahrete H. Wort. Dahero wir vns gänzlich absondern von der Papisten Lehre / welche einen Unterscheid machen zwischen den geschriebenen vnd Ungeschriebenen Wort GOTTES: Vnd des Papsts vnd seiner Kirchen auffsehe eben so wohl wollen für Gottes Wort geachtet haben / als dasjenige / das durch die Propheten vnd Aposteln gepredigt vnd in Schriften hinterlassen worden. Dawieder stehet Actor. 26. 22. Ich sage nichts ausser den / das die Propheten gesagt haben / vnd abermahlt Galat. I. 8. So auch wir oder ein Engel von Himmel Euch würde Evangelium Predigen / anders denn wir

wir

4.

wir (*καρὰ* præter id, quod prædicavimus) etich gepredigt ha-
ben/der sey verflucht.

6. Denique accidens non mutat essentiam rei, idem enim verbum est & manet sive viva voce proferatur sive scribatur. Quemadmodum mandatum Regis aut Principis non mutatur, quando literis scribitur, quamvis idem antea vivâ voce fuerit prolatum; ita se habet cum Verbo DEI cui per scriptio-
nem nihil accessit, nihil decessit. *Conf. Himmel. Syntagm. Diss. 7. Tb. 6.* Præterea & hoc observandum, quod Verbum Dei non scriptum non accipiamus *in sensu Pontificio* Pontificiis enim sub nomine verbi DEI traditiones non scriptæ veniunt, aliud ac diversum objectum continentibus ab eo quod in Scripturis S. & libris Canonicis V. & N. T. traditum est, quemadmodum *Concil. Trident. Sess. 4. statuit: Veritatem cœlestem contineri in libris scriptis, & sine scripto, Traditionibus.* It. *Ius Canonicum c. cum Martine de Celebratione missarum & c. in Scripturis Dist. 96.* *Conf. Magnif. atq; Celeberrimi Dn. D. Hülfemanni Patroni ac Promotoris mei submissè ac reverenter semper colendi Manual. August. Confess. Disp. 1. p. 7.* Sed *in sensu orthodoxo*, ubi per Verbum Dei non scriptum intelligimus unum & idem Verbum Dei vivâ voce vel ab ipso Deo, vel Prophetis, vel Apostolis prolatum, sed deinceps à Prophetis & Apostolis instinctu Spiritus S. scriptum, quod hodiè à nobis Scriptura S. sive Biblia, item, Verbum Dei scriptum dicitur.

7. Cæterum Authoritas Scripturæ S. adjunctum ejus est, denotans non tantum intrinsicum valorem seu facultatē in se alliciendi alios sive ad assentiendum sive obsequendum sed etiam respectu aliorum, ut ab hominibus pro tali agnoscat & habeatur pro vero Verbo DEI, Canone fidei & vitæ, cœlestisque doctrinæ Magistra supremâ, verissima ac infallibili. Dicitur aliàs majestas, eminētia, sublimitas, dignitas divinitas Scripturæ S. quia ob infallibilem autoritatem veracitatemque indubitatam meretur fidem *Rom. III. 2. 1. Iohan. V. 9.* Quemadmodum edictum Principis à subditis ita recipitur, ut ipsi, tum ob causam externam, quia à Principe, tum internam ejus qualitatem, fidē

B

in-

indubitata adhibeant: Sic & se habet cum Scripturæ S. auctoritate. Exemplum hujus rei habemus. II. Chron. XX. 2. 6. seq. Scripserat tum temporis Hiskias Rex literas ad Ephraimitas & Manassitas, ut venientes Jerusalem Pascha celebrarent, quarum auctoritatem, quamvis nonnulli negligenter *vers. 10.* tamen plerique ei obtemperabant *vers. 11. 13. 14. 15.* seq. nitebatur enim ea, partim Regis auctoritate ac Majestate, cui divini cultus Imperiique cura divinitus erat commissa: partim etiam interna ipsius Præcepti hortationisque qualitate.

8. Ut autem ad rem ipsam veniam sepositis aliis quaestionibus ac controversiis, unicè illam aggrediar disceptationem, quâ quaeritur: Unde constet Scripturam S. esse Verbum DEI? Antequam autem sententiam veram probem, status controversiæ formandus est. Distinguo itaque I. Inter auctoritatem Scripturæ S. in se per se consideratam, quam unicè à solo Deo habet, à quo, tanquam effectus à sua causa est, non enim voluntate humana, sed impulsu Spiritus S. scripserunt Sancti Dei homines II. Petr. I. 21. Dignitas enim effectus hujus causæ est, jam Scriptura S. in se habet auctoritatem divinam, quare utiq; à Deo erit. Nam *omnis Scriptura est Θεόπνευστος* II. Timoth. III. 16. Conf. B. Meisner. Colleg. Theol. de Scriptura S. Disput. 22. § 11. Pl. Reverend. & Excellent. Dn. D. Calov. & Dn. D. P R Æ S E S, Praeceptores atq; Patroni mei summâ observantia colendi, ille Socinism. proflig. sect. 2. controvers. 6. pag. 77. hic verò Compend. Theol. Diss. 3. Theol. 1. & Excellent. Dn. D. Carpozov. System. Theol. part. 1. Artic. 1. Aphor. 6. pag. 47. Atque hætenus nobiscum consentire videri volunt Pontificii, verba sunt B Gerbard. Exeges. Loc. de Scriptura S. §. 35. 36. p. 52 53. & inter auctoritatis illius agnitionem respectu nostri, ut eam pro vera & Canonica habeamus. Non itaque quaerimus de auctoritate Scripturæ S. in se consideratæ; sed in respectu quo ad nos, unde possimus esse certi, Scripturam S. esse verbum Dei. Conf. Thom. part. 1. quest. 2. Artic. 1. in conclus. & Respons. ad 3. 2. Disting. inter auctoritatē Scripturæ S. relativam in se; & in respectu ad Ecclesiā, ubi quaeritur, an Scripturæ an verò Ecclesiæ major sit auctoritas? De utraque nobis disputandum erit. 3. Distingvendum est in-

4
ver duplicem Scripturæ S. auctoritatem, quam Pontificii defendunt: & inter duplicem auctoritatis respectum, quem nos concedimus. Equidem in se est una auctoritas, diversus tamen ejus datur considerandi modus. Quemadmodum mandatum Regium, si in se consideretur & ratione sui, tum in se suam habet auctoritatem nullo cogitante homine, ratione verò cognitionis externa manifestatione opus est, nihilominus tamen unum idemque mandatum manet: sic una est & manet auctoritas Scripturæ S. sive in se, sive quoad nos, sive alio modo consideretur. Quæ de re B. Gerhard. Confess. Cathol. lib 2. Artic. 1. cap. 5. pag. 174. ita differit: *Propriè tamen & accuratè loquendo non est duplex, sed una Scripturæ auctoritas, eademq; divina, non dependens ab Ecclesie auctoritate; sed à solo Deo. Auctoritas Scripturæ quoad nos nihil aliud est, quam manifestatio & cognitio Unica illius divine & summe auctoritatis, quæ Scripturæ est interna atq; insita. Ecclesia igitur non confert Scripturæ novam auctoritatem quoad nos, sed reificatione sua ad agnitionem illius auctoritatis nos deducit.*

9. Cæterum auctoritatis vocabulum respectivum est, unde certa subjecta respicit, penes quæ valere debet, quæ cū diversa sint, dispiciendum nobis erit, quibus probanda sit Scripturæ S. auctoritas. *Quidam* itaque homines *admittunt Scripturam Sacram, quidam verò eandem rejiciunt.* Hi vel simpliciter eam rejiciunt, vel ex parte. *Simpliciter rejicientes* sunt cum primis ij, qui vivunt extra Ecclesiam, ut Athei, Pagani, Ethnici, Scythæ, Tartari, Turcæ, Mahumedani, & alii, qui nonnunquã ex terra auctoritate & opera Ecclesiæ commoveri possunt, uti exemplum habemus in Augustino profitente: *Evangelio non credidissem, nisi Ecclesiæ auctoritas me commovisset.* Quod tamen non semper contingit. Potest enim Ethnicus emere sibi Biblia, ea legere, & ita vi & efficacia Verbi divini converti, de quibus paulò post agemus. Quare & alia argumenta per suadentia adhiberi possunt. Inter *hos* verò iterum datur discrimen. Alii enim sunt *Sanabiles*, alij *Insanabiles.* *Insanabiles* sunt præfracti, contumaces, indurati, pertinaces, indociles & malitiosè repugnantes, qui nec Scripturâ, nec Spiritus S. virtute, nec

ullis motivis, nec quidem Ecclesiæ autoritatē, quamdiu tales sunt, hoc est, quamdiu rejiciunt media sibi oblata, permoveri possunt, adeoque & Scripturam & Ecclesiam prorsus non æstiment. Conf. *Act.* XIV. 19. c. XIII. 32. c. XIX. 24. 25. 26. 27. Tales igitur, quia incurabiles, vitandi sunt, & sibi relinquendi. *Tit.* III. 10.

10. Neque tamen hic existimandum est, ac si Spiritus S. non tam validus, nec verbum tam efficax sit, ut ne possint quidē convertere tales homines: nam Spiritus S. hodiē plerumq; ordinario, non vero extraordinario modo medijsque in hominis conversione agit, quare ordinaria media conversionis & salutis exhibet atque offert, quæ cum ab iis negligantur rejicianturque, ipsi propria culpa exilium sibi accersunt. Etenim si vel maximè Medicus Ægroto efficacissima Pharmaca præberet, ipse verò eadem nec admittere, nec applicare vellet, & ita periret, certè hujus interitus causa neque penes medicum neque medicamenta, sed ipsum ægrotum erit: ita quoque se res habet cum Spiritu S. & Scriptura S., ille potens ad agendum, hæc efficax ad convertendum, rejicientes verò sive renuentes sibi metipsis pœnam ac damnationem æternam exinde contrahunt. Deinde verbum Dei quoad actum primum consideratum semper in se habet virtutem & efficaciam, quamvis eandem non semper exerat quoad actum secundum, ob certa impedimenta, quando scilicet subjectum in quod agere debet, non est legitimè dispositum. Sic Sol semper illuminat, & vim illuminandi quoad actum primum habet, si verò aliquis claudat fenestras, neq; lumen admittere velit, tunc actus secundus impeditur: sic & se habet cum efficacia Scripturæ S.

11. *Sanabiles* sunt, qui animo discendi flagrant, adeoque motivis externis eousque perduci possunt, ut benè de scripturis sentiant, eas legant & meditentur, unde efficacia divinarum literarum se prodet, & fidem divinam in ijs gignet. Si enim ejusmodi homini convertendo id persuadere valeo, ut scripturæ S. tantam autoritatem concedat, quantam tribuit Plauto, Terentio, Livio, Tacito aut aliis scriptoribus Profanis & Hi-

stori-

4
storicis, quæ saltem humana est, ut credat vera ea esse & ita se habere, quæ inibi proponuntur, inductus argumentis humanis, eaque legat, tum illa in se habet vim & efficaciam, ut hominẽ convertat, & tum demum testificatione Spiritus S. in corde ipsius interna superveniente, ipse auctoritatem divinam scripturæ S. propter ipsam concedet. Quemadmodum in Samaritanis videre licet, qui primò credebant propter mulierem, cum verò ipsum Salvatorem verba vitæ prædicantem audivissent, confitebantur: *Non amplius propter tuos sermones credimus, ipsi enim audivimus & scimus, hunc esse verum Salvatorem illum mundi, Christum. Iob. IV. 42.* Illa verò scientia non aliundè erat, nisi à Spiritus S. testificatione, juxta illud I. Joñan. V. 6.

12. *Ex parte* Scripturam S. rejicientes sunt, qui partem illius rejiciunt, partem verò tantum recipiunt, ut sunt Manichæi V. Testamentum rejicientes, quare ex Novo, & Judæi Vetus tantum recipientes, ex eodem convincèdi sunt, ut reliquas Scripturas admittant, fidemque ijs adhibeant. Ejusmodi modum procedendi ipse Salvator observavit, qui cum Saducæis de mortuorum resurrectione disputans, facilè equidem eos ex Prophetis aut Psalmis convincere potuisset, quia verò hi saltem Pentateuchum admittebant, ideò quoque ex Mose ipsis probabat. *Matth. XXII. 23. 29. 30. seq.* Sic idem Christus cum Pharisæis & Judæis, & Apostoli cum iisdem ex Mose & Prophetis disputabant. Conferantur modò loca *Iob. V. 39. 45. Matth. XXII. 43. seq. Actor. II. 14. 16. 17. seq. c. III. 18. 22. 23. seq. c. XVIII. 28.* Plura hæc de relegi possunt apud *Galatinum lib. 12. de Arcanis Cathol. veritat. citante Himmel. Syntagm. Theol. Disp. 2. §. 36.*

13. *Recipientes* Universam scripturam S. tum V. tum N. Testamentum, sunt ij, qui vivunt in Ecclesia & de auctoritate Scripturæ S. nec dubitant, nec dubitare debent, quibusque auctoritas ut probetur, non est. Tenentur enim credere Scripturam S. in se habere auctoritatem. Etenim est Vox Christi, quam oves ejus reverenter recipiunt. *Iohan. X. 3. 23. Testimonium DEI omni testimonio humano majus. I. Iohan. V. 9. 10. 11. qui verò ex Deo est verbum DEI audit Iob. VIII. 18. & ut verbum DEI recipit. I. Thess.*

II. 13. quare peccatum est ea de re dubitare, ut graviter docet
Magnif. Dn. D. Hülseman. Supplem. Breviar. cap. 1. Thes. 5. p. 2. De vera-
citate hujus objecti & veracitate primorum ministrorum ea,
que immediatè à D E O acceperunt, inter homines pro-
mulgantium, peccatum est inter Christianos moveri con-
troversiam Jerem. V. 14. II. Corintb. 13. 2. 3. Hoc enim
oportet supponere, vera certaq; esse que in S. Bibliis proponuntur, &
hunc librum esse S. Biblia Job. XX. Ult. Conf. Eiusdem Manual.
August. Confess. Diss. I. Thes. 18. seq pag. 15. Quomodo enim Ecclesie
filij de veritate fundamenti, cui Ecclesia innititur, dubitare pote-
runt? Quomodo de auctoritate Verbi D E I in Scripturis contenti
possunt querere, qui vim & efficaciam verbi in corde suo ipsi sentiunt,
& per illud ad vitam eternam se regenitos esse agnoscunt? Scribit B.
Gerhard. Exeges. Loc. de Script. S. § 36. pag. 53. Est itaq; diversitas in-
ter humana dicta, que argumentis & testibus opus habent, & D E I
sermonem, qui sibi ipsi testis est, disserit ex Salvian. Lib. 3. de Provi-
dent. sæpius laudatus Dn. D. Hülseman. Disput. que dogmata ad se-
lutem sint necessaria Thes. XII. Et Thes. XVIII. ita disputat: Dubita-
re de ejus (Scripturæ S.) veritate, fidem protinus extinguit. Esto
enim credas: D E U M propter Christi meritum fore tibi propitium
Quæro, unde noris rem ita se habere? Quia D E U S se ita revelavit
neceste est, ut respondeas. Eiusmodi revelationis veritas autem non
nisi in Scripturis continetur, de quibus, si quis ambigat, fide excidit.
Non minus si de harmonia Prophetarum & Apostolorum ambige-
rit, vel enim sequitur: D E U M nunc hoc, nunc illud voluisse, unde de
constantia ejus voluntate erga peccatorem nihil concluderit; vel ob
ἀντιρρήσιον Scriptorum non constare, quid creditu, quid factu opus
sit. Non item minus si dubitaverit, an dogmata Scripturis con-
tenta ea sint, que Prophetæ & Apostoli prædica verunt, idem enim est,
ac si dubitaverit, num hæc vera sint, que Scripturis produntur.
Tenenda ergo est Irenæi regula lib. 2. advers. hæres. cap. 1. Quæ
primò Apostoli præconcionaverunt, postea per D E I Voluntatem
in Scripturis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ
futurum. Nec enim fas est dicere, quoniam ante prædicaverunt, quæ
perfectam haberent agnitionem. &c. Induti enim sunt superveni-
ente

44

ente Spiritus Sancti virtute ex alto, de omnibus adimpleti sunt, & habuerunt perfectam agnitionem. Hactenus Magnus Hülsemannus. Huc referri possunt, quæ habentur in Scriptis Georgij, Principis Anhaltini fol. 305. fac. b. & Tom. 2. Giessens. Disp. II. Thes. 44 seq.

14. Accedit Testimonium Augustini Confess. lib. 6. cap. 5. Postremò, scribit, quam inconcusse fixum fide retinerem, de quibus Parentibus ortus essem, quod scire non possum, nisi audiendo credidissem. Persvasisti mihi ô DEUS, non qui crederent libris tuis, quos tanta fere in omnibus auctoritate fundasti, sed qui non crederent esse culpandos, nec audiendos, si qui forte mihi dicerent: Unde scis illos libros esse unius & veracissimi DEI Spiritu humano generi ministratos. Huc refero quoque illa, quæ habentur in tractatu quodam, cui nomen, Synopsis controversiarum edit. Salmurij Ann. 1634. Tit. de auctoritate Scripture S. §. 6. & 7. pag. 6. quæ contra Pontificios valent, & ita sonant: Porro variorum istud Syntagma librorum (Scriptura S.) habet usq; adeò illustres Originis suæ cœlestis notas, ut à nemine possit revocari in dubium, quin sit à DEO. Quare eius auctoritas summa esse debet, non tantum in se, sed etiam apud nos. Absurdum enim est, atque adeò impium, ut quod se suapte natura, & innatis argumentis probat esse divinum, id ab hominum & cujuscunq; creaturæ testimonio auctoritatem suam mutuari velimus. Itaq; eorum blasphemias existimamus esse sententias, qui dicunt Scripturam S. si seponatur testimonium Ecclesiæ, non plus valere auctoritate apud nos, quam Æsopi fabulas, aut Mabumedis Alcoranum. Idem ferè Anselm. Comment. in Titum cap. 2. f. 438. testatur: Verbum DEI blasphematur, vel dum contemnitur & pronihilo ducitur prima DEI sententia, vel dum infamatur Christi Evangelium. Cœterum nec ipsi Adversarij sibi constant. Bellarminus enim, quamvis maximè ipsi notum sit, Pontificios Scripturam S. regulæ Lesbię, Nalo cereo, Fabulisque Æsopi comparare, & semetipsum docere lib. 4. de V. D. non scripto cap. 4. pag. 69. §. Quartò. Quartò.

tō necesse est nosse, extare libros aliquos verè divinos, quod certo
NULLO MODO ex Scripturis haberi potest. Nam et si Scriptura
 dicat libros Prophetarum & Apostolorum esse divinos, tamen id cer-
 tō non credam nisi prius id credidero, scripturam, quæ hoc dicit, esse
 divinam. Nam in Alcorano Mahumeti passim legimus, ipsum Alco-
 ranum de cælo à **DEO** missum, & tamen ei non credimus. Itaq; hoc
 dogma tam necessarium, quod scilicet aliqua sit scriptura divina, non
 potest sufficienter haberi ex solâ scriptura. Proinde cum fides nitatur
 Verbo Dei, nisi habeamus verbum Dei non scriptum (Traditiones)
 nulla nobis erit fides: nihilominus tamen sibi & sociis suis
 contradicens, lib. I. de V. D. c. 2. §. At sacris. p. 2. scribit: Sacris Scri-
 pturis, quæ Prophetis & Apostolicis literis continentur, nihil est no-
 tius, nihil certius, ut stultissimum esse necesse sit, qui illis fidem ha-
 bendam esse negat. Notissimas enim esse, testis est orbis Christianus,
 & consensio omnium gentium, apud quas multis jam seculis summam
 semper auctoritatem obtinuerunt: certissimas autem atq; verissi-
 mas esse, nec humana inventa, sed oracula divina continere. &c.
 Sic & Sixt. Senens. Bibliothec. sanct. lib. 1. sect. 1. p. 1. Sacrarum Scriptu-
 rarum auctoritas tanta est, ut de fide earum nefas sit dubitare. Divi-
 ni autem & Canonici Scriptores illi sunt, qui Spiritu divino dictante
 Scripturas Canonicas tanta fidei constantia scripserunt, ut eis non
 firmissim credere impiū sit: de quorum venerandâ auctoritate Au-
 gustinus ad Hieronymum scribens: Solis eis Scripturarum libris, qui
 Canonici appellantur didici hunc timorem honoremq; deferre, ut
 nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse, firmissimè cre-
 dam.

14. Nihilominus tamen & hoc evenire potest, ut quidam
 Christianus & in Ecclesia constitutus dubitet de auctoritate
 Scripturæ S. undenam illam probare possit? Ubi distinguen-
 dum est inter quæstionem vel *dubium incredulitatis*, quando mo-
 vetur à Fanaticis Scripturam S. negantibus: *perversitatis*, quod
 committitur à Pontificiis & aliis eandem insaniam deliranti-
 bus: & *docilitatis*, si quis animo discendi ejusmodi dubium pro-
 ponat, & in data informatione acquiescat, quod non impro-
 bamus.

15. Et

44

75. Et hæc observanda fuerunt circa statum controversæ, ubi quæritur de authoritate Scripturæ S. ratione nostri. Ut autem eò feliciter sententiam nostram probare possimus, præmittenda adhuc quædam sunt de authoritate Ecclesiæ, à quâ Scripturam dependere Pontificij contendunt, quæ diversimodè considerari potest. Quare distinguendum est. 1. *Inter ordinè probandi*, quomodo apud infideles aliquando testificatio Ecclesiæ præcedere potest, quem & nos in probatione observabimus: & *inter probandi efficaciam*, quæ ex Spiritus S. testimonio interno oritur. 2. *Dist. inter officium Ecclesiæ*, quod est, testari de Scripturæ S. ἀὐθεντία, propter quod testimonium non fit superius, siquidem & inferior de superiore testari potest, sicut Apostoli debebant esse testes Christi. Johannes testabatur de Christo: Ecce agnus Dei, Joh. I. 15. 19. qui tamen se non dignum profitebatur, ut solveret corrigiam solearum: & *inter ipsum objectum testificationis* sive ἀὐθεντία ipsam, & hanc ab Ecclesia Scriptura S. minimè habet. 3. Distinguendum est inter *testimonium Ecclesiæ magisteriale*, quod quidem Pontificij ipsi tribuunt, nos verò eidem denegamus: & *ministeriale*: quod exercet. 1. *Testificando*. 2. *custodiendo*. 3. *Vindicando* & à vera falsis discernendo, quam discretionem quidem urget *Castro lib. 1 p. 16. a. adversus hæreses*, & hoc Ecclesiæ competere Pontificiis concedimus. 4. *Proponendo*, divulgando & S. Scripturam interpretando, qua de re *Sotus contra Brentium p. 137. a. b. 174. a. defens. disputat. Conf. Botsac. de authorit. Script. S. cap. 1. §. 10. p. 10.* Verum nec de hoc inter nos & Pontificios agitatur controversia. 5. Deniq; distinguendum inter *testimonium Ecclesiæ primitivæ* temporibus Apostolorum proximæ, vel saltem non longè remotæ, quæ vel ipsa interfuit, vel ἀυτόγραφα Scriptorum vidit, vel ex iis, qui interfuerunt, authoribus cognovit: & *inter Ecclesiam hodiernam*, cui eatenus tantum creditur, quatenus dicta & facta sua ex Ecclesiæ primitivæ testimonio probat. Si jam Pontificijs vel maximè concederemus Ecclesiæ testimonium, tamen intelligimus primitivam & veram Ecclesiam, non verò Pontificiam, quam resolyunt in Concilia, & tandem in Pontificem Romanum, uti è

C

dicen-

dicendis constabit. Prolixius hanc distinctionem explicat
Dn. D. Carpzov. System. Theol. part. I. Artic. I. Aphorism. 7. pag.
48. §. I.

16. Præmissis jam ijs, quæ præmittenda necessariò fuerunt, probamus nostram sententiam, siquidem jam ex dictis constat, quibus probanda sit Scripturæ S. autoritas. Tres verò cum primis argumentorum probantium classes constitui possunt, quamvis non unius ejusdemque valoris sint. Quædam enim argumenta saltem occasionem credendi possunt præbere, quæ quidem non tam probant, quam occasio sunt perveniendi ad Ecclesiam: quædam dicuntur inducentia sive persuadentia, ita tamen, ut saltem fidem humanam gignant: quædam denique sunt convincentia atque cogentia, fidemque divinam gignentia.

17. *Occasiones*, quibus Paganus sive Ethnicus moveri potest, ut ad Ecclesiam & veram religionem transeat, variæ quidem esse possunt, quibus adducendis non prolixi erimus. Datur enim Fama de Ecclesia ac vera religione, conversatio infidelium cum fidelibus, autoritas Parentum, vel aliorum, qui autoritate apud eos polleant, miracula, constantia Martyrum, integritas vitæ illorum, qui Christianismum profitentur, secundum *Justin. 1. Apolog.* & quæ sunt alia, quæ instar occasionis esse possunt. Sic Rahab ex fama de miraculis Domini in populo Israelitico perpetratis, ad Ecclesiam eorundem conversa est. *Jos. II. 9. seq.* Item de Gibeonitis legimus *cap. XI. 3. 9. 10. 24.* Præfectum militiæ Regis Syriæ per famam de Ecclesia Israelitarum ab ancilla ut ad eandem accederet monitum, conversum fuisse, postquam Prophetam audierat, & se in Jordane laverat, dicitur *II. Reg. V. 3. 4. 5. 17.* Augustinus cum multa de Ambrosij eloquentia audivisset, ut eum audiret, frequentavit concionem ejus, quâ ad errores agnoscendos inductus fuit. Constantino Imperatori occasionem præbuit crucis effigies cum miraculosa inscriptione in aëre conspecta. Imò potest accidere, ut Paganus unus alteri Biblia tradat, neuter verò pro Verbo Dei habeat, uterque tamen si legat, vi verbi Dei indita converti possit.

Quem-

44

Quemadmodum *Hipponensis Episcopus lib. 8. Confess. cap. 2. de Vi-*
etorino gentili Rhetore refert, quod sciendi cupiditate lectionem Bi-
bliorum auspiciatus sit. Similia exempla narrantur in Vitis Patrū
part. 4 lib. de laude Virtutum cap. 13. 16. Videatur nunquam satis
laudandus Vir Dn. D. Hulseman. Manual. August. Confess. Diss. 6.
quest. 2. §. 3 p. 233. Et ejusmodi occasionibus fieri potest, ut Pa-
ganus sive infidelis ad Ecclesiam veniat, Doctoresque Ecclesiæ
audiat, ut autem de autoritate Scripturæ S. certus fiat, tunc hoc
modo procedendum erit.

18. Primò quidem ipse vel ex lege naturæ convictus con-
cedet esse DEUM, eumque colendum, & quidem modo opti-
mo naturæ ipsius convenienti. Hoc nemo Ethnicorum negat
aut ignorat, inde enim factum, ut Idola, Elementa, Solem, Lunā
& alias stellas adorarent, vel aliquid sibi fingerent, cui cultum
suum deferre possent. Lystrenses cum miraculum à Paulo &
Barnaba in claudo quodam factum vidissent, sacrificia Apосто-
lis offerre moliebantur, quos demum Apostoli à cultu Dei fal-
si, ad unius veri Dei perducebant *Act. XIV 10. 13. 15.* Simile ferè
exemplum occurrit *cap. XVII. 23. 24.* Ita & infideli in mentem
revocandum fuerit, esse verum DEUM, eumque cultu afficien-
dum. Quomodo vero ejusmodi cultus comparatus esse debeat,
id sine dubio DEUM præscripsisse. Quà de re B. *Hunnus* im kurz-
hen Inhalt/was von Göttlichen Sachen zu halten *cap. 1.*
p. 11. n. 9. & 10. scribit: Nach dem Gott den Menschen al-
so geschaffen/das er von Natur genötigt wird einen Gott
zu suchen/denselben zu erkennen vnd Ihme Göttliche Eh-
re zu erweisen/Inmassen in allen Völkern zu ersehen/wie
keines sey/noch jemahls gewesen/das nicht einen Gott ha-
ben vnd Ehren solte/Also gar/das weil es Ihnen an des
Wahren Gottes Offenbarung gemangelt/sie lieber ei-
nen Unbekandten Gott dienen wollen (*Geschicht 17. 13.*)
Als keinen Gott haben. Ja/damit Sie nicht ohne allen
Gott weren/Haben sie die Unvernünftigen Thiere/Beh-
sen/Vöcke/auch Sonn vnd Mond/die Sternen/das Feu-
er/die

er/ die Kräuter vnd Garten Gewächse / Holtz vnd Steine
 vor Götter geehret / So wird ja hieraus kund / Gott habe
 den Menschen zu dem ende gemacht / daß er Ihn erkenne
 vnd Ihn diene. Soll aber der Mensch Ihn erkennen
 vnd Ihn dienen / So muß sich Gott selber Ihn Offen-
 bahren / zu erkennen geben vnd lehren / wie vnd womit er
 wolle / daß man Ihn dienen solle / denn Er wohnet in einem
 Licht / da niemand zukommen kan. *I. Timoth. VI. 16. Conf. &*
pag. 12. usq. 34.

19. Deinde ostendenda est ei falsitas Religionis Paganæ,
 ut hæc relicta ad veram accedat. Quemadmodum medici an-
 tequam vulnus curent, pus, quod impediementi instar est, remo-
 vent: sic & hic in convertendo infideli, ante omnia obstacula
 removenda veniunt. Ita Paulus Atheniensibus initiò falsum
 Deorum cultum exprobat, & tum demum Evangelium de
 Christo prædicabat. *Act. XVII. 22. c. XIX. 26.* Demonstratur autè
 falsitas religionis Ethnicæ sive infidelium ex requisitis ad veram re-
 ligionem necessarijs, quæ cùm illi denegentur sine dubio falsa erit. Re-
 quisitorum I. est *Antiquitas*, ut fuerit statim ab initio vera reli-
 gio, quamprimum & quamdiu homines extiterunt. Constat
 autem quod initia religionis Paganorum & Deorum gentiliti
 longè post hominis creationem ceperint. Nec enim gentiles
 negare poterunt, scripta Mosis ætate superare omnium etiam
 antiquissimorum Græcorum memoriam, ipsisque eorum Dea-
 stris Mosen antiquiorem fuisse. Nam & multa gentiles à Mose
 & Ebrejs acceperunt, & integros ferme libros aut saltem quas-
 dam eorum partes exscripserunt, ut videre licet apud *Ovidium*,
Plutarchum, aliosque, de quibus paulò infra nobis agendum e-
 rit. Interim huc facere videntur, quæ *Eusebius in præmio Chro-
 nici de Mose* tradit: *Reperi Ebraeorum progenitorem Israelem Ina-
 cho, quem primum Argis regnasse Græci prodiderunt, ουρχγορον* fu-
 isse: *Semiramidis verò temporibus Abraham vixisse*: *Mosen autem*
*(ut verum quidem fatear) infra horum tempora extitisse, antiquio-
 rem tamen omnibus præcæ Græcorum memoris, Homero, inquam*
Hestia

4

Hesiodo, ipsisq; Trojanis temporibus, Castoribus, Æsculapio, Liberō patre, omnibus Heroibus, Mercurio & Apolline, reliquisq; Græcorum Diis, mysteriis & initiis, atq; adeò ipsis Jovis gestis, quorum omnium Historiam infra ætatem Cecropis fuisse Græci tradiderunt. Hoc autem examen temporum adstruit Mojen Cecropi coætaneum esse, qui primus 350. annis ante Trojana tempora in Attica regnasse memoratur. Hactenus Eusebius.

20. Alterum requisitum est *duratio*. Quemadmodum enim ab initio statim viguit & ad nostra tempora pervenit, ita & durabit usque ad consummationem seculi. Etenim in aperto positum est, nostram religionem semper mansisse incorruptam. Et quamvis nonnunquam tenebris obfuscata fuerit, & persecutionibus oppressa, nihilominus tamen iterum effulsit, & in altū caput extulit, ut ex Historia tū Sacra, tū profana patet. Ut enim post obitū Josephi posterij ejus atq; Israelis infinitis laboribus atque molestijs premerentur, nihilominus tamen salva & inconcussa semper permanfit religio, quin tantò magis succrevit, quo impotentius impetebatur. Cæterum cum captivi abducerentur Babylonem Israelitæ, salva tamen tum quoq; fuit invariataque quoad præcipua *fermè* fidei puncta usque tēpora quoque Messia, (quibus tamen omnia in potestatem Romanorum redigebantur) quamvis ad paucos homines restricta asservataque esset. Ut ita nulla potestas sive Ægyptiorum sive Persarum, s. Syrorum sive Assyriorum, imò nec ipsa potentia Alexandri M. eam extirpare valuerit, quin potius ipse potentissimus Monarcha Pontificem Judæorum Jaddum cultu ac reverentia veneratus, si *Josepho lib. II. cap. Ult.* fides habenda. Et quavis maximè premeretur tempore Antiochi Epiphanis, tamen non penitus opprimebatur. Temporibus verò Messia & post illa statim tempora, ita divulgata est, ut cum Evangelium per mundum Univerfum deberent prædicare Apostoli, inde Catholica appellata sit, & quæ antea Judaica dicebatur, tunc Christiana dicta fuerit: manifesto documento, eam imposterū quoque conservatum iri usque ad mundi consummationem, juxta vaticinium Christi *Matt. V. 18.* Conferri hic potest *B. Hun-*

in in Beantwortung der Frag / woher die Lutherischen gewiß
seyn können / daß Sie die H. Schrift recht auflegen *cap. 3. §. 53.*
num. 7. p. 79. 80. Solange Christen auff Erden gelebt ist die Heil.
Schrift wieder die Ketzer vnd Irrige Lehrer als ein Mittel stets
gebrauchet worden / derselbigen Schädliche Falschheit zu zeigen /
vnd fromme Christen dafür zu warnen. *It. in Kurzen Inhalt*
was einen Christen zu Glauben nöthig. cap. 1. §. 34. p. 27. seq. Conf.
& B. Lyseri trifolium de vera religione Tempor. V. Testamenti.

21. Denique; *Sanctitas atq; sublimitas.* Ut non doceat,
quæ contraria sint ijs, quæ naturali cognitione de Deo nobis
constant, nec ea proponat, quæ divino honori derogant, vel
quæ foeda & turpia factu sint. Quæ omnia cum de Christiana
religione affirmantur, de Paganorum verò, Ethnicorum, Tur-
carum aliorumve infidelium negentur, sequitur illam verè es-
se divinam atq; legitimam, hanc verò tanquam falsam rejicien-
dam atque fugiendam. Si hoc jam sibi persuasum habeat in-
fidelis convertendus nostram religionem esse veram & confi-
stere in vero ac sincero Dei cultu (in eo enim convenit ante
nobiscum, quod ille, qui totum Mundum & omnes creaturas
condidit, atque hucusque conservavit cultu quodam sit afficiē-
dus, uti Theſ. 8. diximus) hunc autem ab hominibus excogita-
ri non posse, cum nulla sit proportio inter Deum & creaturas,
facile id quoque concedet, quòd Deus ipse aliquando eum in-
stituerit, & literis consignare curaverit. Quemadmodum au-
tē cœterorū Exterorū religio in certis Codicibus cõtēta asserva-
tur, sicut Turcæ Alcoranum, Judæi Talmud, alij alios libros ha-
bent, ita & de Christianorum religione ac cultu ex S. Codice cõ-
stat. Quare invitandus est, ut legat Scripturam S., & ea quæ in
ipsa proponuntur diligenter consideret atque pensitet, eidemq;
ad minimum fidem habeat talem, qualem aliàs adhibet Livio,
Tacito aut Salustio, ut credat hoc intendisse Livium, talibus
verbis, de tali re, hâc occasione, hoc loco prolatis, ita ferre Sty-
lum Livij, &c. ita & idem concedat Scripturæ S., vera esse, quæ
ibi proponuntur, donec ulterius ex eâ convincatur, e-
veniet enim, ut aperiatur mens, ut intelligat Scripturas, *Luce. 24.*
45. &

45. & Spiritum revelationis accipiat, *Ephes. I. 18.* Si enim testimonium hominis accipimus, testimonium Dei majus est, *I. Johan. V. 9. 10.* & qui hoc recipit, is obsignavit Deum esse veracem *Iob. III. 33.*

22. Hoc ipsum autem, quod in libro Scripturæ proponitur verè esse Dei verbum ut credat, ipsi demonstrandum erit per certa κριτήρια, quorum quædam sunt *moventia* sive *probabiliter persuadentia*, quædam verò *cogentia* atq; *convincencia*. Illa sunt, vel *externa*, vel *interna*. *Externa* desumi possunt. 1. *Ab Universali orbis omniumq; populorum Testimonio*, quorum quidam directè, quidam verò *in scij & citra institutum animi sui testimonium* S. Scripturæ perhibent. Sic Turcæ ipsam Scripturam S. tam V. quam N. Testamenti cœlitus nobis traditam, Mosen & Jesum, tanquam indubitatos Prophetas docuisse viam Dei, eamque stupendis miraculis confirmasse, in Alcorano suo fatentur. Judæi dum V. Testamentum recipiunt, eo ipso Christianorum religionem obliquè confirmant. Novum enim Testamentum Veteri indissolubili nexu cohæret, ita ut illud in V. sit fundatum, hoc verò in Novo explicatum, impletum atque illustratum. Huc spectat Testimonium Flavij Josephi, Judæi, qui expressis verbis scribit: Jesum, qui sub Pontio Pilato crucifixus est, verum fuisse Messiam, discipulosque de eo in scriptis fuisse testatos fuisse. Gentiles quoque ab initio statim de V. Testamento, Israelitarumque religione in scriptis suis testimonium dederunt. Quod ex ijs patet, qui contra Aristotelem unacum Scriptura mundi æternitatem negant, ex *Ovid. lib. 1. Metamorph.* de creatione canente. Huc refert rerum & antiquitatum Judaicarum scriptor plures scriptores Ethnicos, *Manet bonem, Ægyptium, Berosum, Chaldaum, Hieronymum Ægyptium, Hastiaëum, Hesiodum, Hecatæum, Hellonicum, Acusilaum, Ephorum & Nicolaum*, qui omnes de religione ac Historia Israelitarum scripserunt. Diluvij Historiam narrant, *Berosus, Hieronymus Ægyptius Phœnicum Historicus, Mnaseus & Nicolaus Damascenus*, testante *Ioseph lib. 1. de Antiquit. Judaic. cap. 4.* De Mosis temporibus, Israelitarum educatione, dispersione, & aliis rebus gestis ac in V. Testa-

Testamento contentis, *Ovidius, Herodotus, Justinus, Pompejus Trogus, Lyfimachus, Corn. Tacitus, Diodorus Siculus, Trebellius, Juvenalis, Strabo, Procopius, Cicero, Suetonius, aliq³ scripta reliquerunt, quæ omnia prolixè exponit B. Hunn. Tom. I. Oper. Tract. de Majestate Scripturæ S. pag. 39. seq.*

23. Cæterum & gentiles tempore N. Testamenti viventes, multa quæ circa illa tempora in Ecclesia acciderunt, & noverunt pariter & scriptis prodiderunt, qualia sunt, quæ de infanticidio ab Herode perpetrato, *Macrobius* scribit: Christum sub Pontio Pilato passum fuisse, *Tacitus in Vita Tiberij* author est, item, *Plutarchus in libro de interitu oraculorum*. Ecclipsi tempore passionis Christi extante, *Dionysium Areopagitam* dixisse ferunt: *Aut Deus natura patitur, aut Machina mundi dissolvetur*. Deinde de persecutione Christianorum sub Nerone, *Tacit⁹*, sub Traiano, *Plinius Secundus* multa commemorarunt, Pluribus superfedemus. Ex his vero satis patet, exteros quoque, Turcas, Judeos, gentiles & alios de rebus in Scriptura S. contentis & ipsâ Scriptura S. testimonium perhibuisse. *Nulla itaq³ fermè vel ex his, vel ex ullis aliis sive seclis sive in mundo nationibus, tam à cultu Dei aliena est, quæ non velut rursq³ Testamenti vel alterius scriptæ sub plenissima persuasione indubie veritatis agnoscat & recipiat. Iudæi venerantur monumentum Mosis & Prophetarum, Mahometistæ in Alcorano suo Prophetas & Apostolos veritatem cœlestem docuisse fatentur. Et Æthiopiæ Populi illi multis suæ Religionis partibus Christiani sunt. Græci quoq³ propius ad nos accedunt, & de totius Scripturæ Canonica firmitate consentiunt, quæ verba B. Hunn. ij sunt l. c. Prolixiorem declarationem hujus rei qui desiderat adeat B. Franz. Tract. de Interpret. Script. S. Orac. 12. p. m. 196 seq. Schröder. Opusc. de Princip. Theol. Cap. 1. sect. 1. argument. 12. 15. quest. 6. Hunn. tr. Was ein Christe von Göttlichen Sachen zu Glauben benödigt cap. 1. § 27. 29. pag. 22. seq.*

24. 2. A conservatione Scripturæ S. usq³ hæc Tempora, Etenim divina providentia nunquam permisit neque permittet, ut quicquam de libris Canonicis ad conservandum verbi depositum & Ecclesiam instruendam necessariis pereat & intereat,

ju

juxta *Esa.* XL. 8. *Luc.* XXI. 23. *Matth.* XV. 18. & *Petr.* I. 25. Et licet nonnulli S. literis exitium intentarint, pœnas tamen vindictæ divinæ maximas dederunt, nihil minus efficientes, quam quod moliebantur. Ex quibus fuerunt *Antiochus Epiphanes* in V, & *Diocletianus* in N. Testamento, quorum ille tamen miserrima morte extinctus est. II. *Maccab.* IX. hic verò cum suam in Christianos grassandi libidinem explere non posset, gubernacula imperij sponte deposuit. *Julianus* Apostata Christianorum & librorum Sacrorum hostis infensissimus insperato telo percussus sanguine suâ manu in aerem sparso, dixit: *Vicisti tandem Galilæe miseram simul animam efflans.* Vid. *Euseb.* lib. 8. cap. 2. *Augustin.* lib. 2. in *Julian.* Idem & aliis Scripturæ S. contemtoribus evenit. *Simoni Mago*, apud *Egesippum* lib. 3. cap. 2. de *Excidio Hierosolymitano.* *Arnob.* lib. 2. *contragentes.* *Theodoto*, ap. *Euseb.* lib. 5. *Hist.* c. 16. *Ario*, ap. *Athanas.* *Orat.* 1. *contra Arianos,* & *Austin.* lib. 10. *Histor.* c. 13. *Nestorio*, ap. *Evagr.* lib. 1. *Histor.* cap. 3. *Hunerico Regi Wandalorum*, ap. *Victor.* *de persecut. Wandal.* lib. 13. *Anastasio Imperatori*, apud *Paulum Diaconum* in *vita ejus.* Ex quibus manifestè constat, falsum esse commentum eorum, qui scripta Mosis atque Prophetarum conflagratione Templi & Urbis Hierosolymæ incendio consumpta fuisse contendunt, quos refutatos vid. apud *B. Gerhard.* *Exeges.* loc. de *Scriptur.* S. §. III. seq. *Confess. Cathol.* lib. 2. artic. 2. cap. 2. *Thes.* 1. p. 71. *Conf.* & *Hunn.* T. 1. oper. de *Majest. Script. S.* argument. 14. pag. 23.

25. 3. *A Martyrum constantia;* qui sanguine suo veritatem verbi divini ob signarunt, & ob ejus confessionem acerbissima Tormenta passi sunt, firmiter credentes se æterna præmia atque vitam pro his mundi illecebris ac temporali vita consecuturos juxta divinum promissum in S. literis contentum, quod passim ex *Historia Ecclesiastica* constat. Ipse *Plin.* lib. 2. *Epist.* in *Epist.* ad *Trajan.* testatur: *Christianos omnia vitia detestari. Sanctissime vivere, & hoc solum in eis posse reprehendi, quod nimis facile pro Deo suo profundent vitam.* Hæc Martyrum magnanimitas *Justinum* commovit, ut Christianæ religioni se addiceret. De quibus *Augustinus* lib. 22. d. C. D. cap. 9. ita loquitur: *Dicuntur Martyres, qui non solum S. scripturam divinitus inspiratam esse persuasissimum*

D

simum

*sanum sibi habent, sed etiam mira patientia persecutionum adeoq;
 sanguinis sui profusione præclare idem testantur, ita enim Scriptura
 de illis, loquitur Ebr. XI. 35. 36. 37. 38. Alii dissentiunt non suspici-
 entes redemptionem, ut invenirent meliorem resurrectionem. Alii
 vero ludibria & verbera experti sunt. &c Conf. Apoc. VI. 9. Et
 in alio loco ait: Incomparabiliter pulchrior est veritas Christia-
 norum, quam Helena Græcorum. Pro ista enim fortius nostri Mar-
 tyres adversus hanc Sodomam, quam pro illa illi Heroes adversus
 Trojam dimicaverunt. Idem testatur B. Hunnius in kurzem bericht
 Was einem Christen in Geistlichen sachen zu wissen und Glauben
 nötig cap. 1. p. 26. n. 33. Gleichwol (ist die H. Schrift) in aller
 Welt von so unzählig vielen Völkern angenommen und verthe-
 digt worden/das dieselben dem allerschmehligsten Tod gerne und
 willig darüber gelitten/ehe denn sie von solchen Wordt sich wol-
 ten dringen lassen/welches nicht einiger Creatur/sondern Gottes
 Werck ist.*

26. Denique 4. *Ex testificatione Ecclesie*, quæ etiam aliàs ex
 parte occasio esse potest Conf. *Thef.* 17. Etenim occasio sapius
 ita comparata est, ut simul argumenti loco sit. Sic Ecclesia Scri-
 pturas S. proponens, non duntaxat ansam præbet, ut aliquis in
 cognitionem earum deveniat, sed insuper instar argumenti
 movet, dum video tantum cœtum, quantum Ecclesia consti-
 tuit, literas S. tanquam divinitus inspiratas recipere. Idem judicium
 ferendum de Martyribus atque miraculis. Etenim miracula
 & Martyres Pagano occasionis loco esse possunt, ut addicat se re-
 ligioni Christianæ, & simul argumento esse, quando colligit,
 religionem illam, quæ miraculis confirmatur, quamq; tot Mar-
 tyres sanguine suo obsignant, esse veram. Quare id hoc loco ad-
 ducimus tanquam argumentum movens, non convincens. Ipse
 autem Filius DEI testimonium Ecclesie concedit. Vos testabi-
 mini inquit, quia Principio mecum estis. *Johan.* XV. ult. Apo-
 stoli verò tum temporis Ecclesiam representabant. Et concre-
 dita sunt ei Elogia DEI *Rom.* III 2. Nam Prophetæ & Apostoli,
 quando librum quendam conscripserunt instinctu Spiritus S.
II. Petr. 1. 25. tum illum Ecclesie tradiderunt, quæ istum rece-
 pit, & posteris tanquam *Ἰεὸς ὡνεύσθω* commédavit sic verba le-
 gis quæ

44

quæ Moses scripserat asservabantur in Arca Fœderis, & Israelitæ debebant posteris suis prædicare, qualia beneficia Deus educendo eos ex Ægypto in ipsos contulerat, Exod. XII. quæ omnia à Mose conscripta sunt. Sic scripta Apostoli Pauli, ab Ecclesiis Romana, Ephesina, Thessalonicensi, Collossensi &c. recipiebantur atq; posteris cõmẽdabatur, ita planè, ut integra quoq; ad nos pervenerint. *Ita igitur libri S. è manu Virorum DEI accepti post de manu in manum sint traditi, & usq; ad nostra tempora conservati, ut propterea testimonium Ecclesiæ præsertim primæ, quæ ipsos Propbetas Apostolosq; vidit, audivit, eorumq; Chirographa asservavit, apud Christianos cum primis maximum pondus habeat. Quo fit, ut ejus Testimonio, tanquam beneficio cuiusdam χειραγωγίας ad Christum in Scripturis nobis loquentem adducamur. Post ea autem ipsi Christi Vox animos nostros ita percipit, ut non amplius propter testimonium Ecclesiæ credamus, sed majestate verbi cœlestis, & Spiritus S. operatione intus corda nostra percillantur. Ecclesiæ enim hæc in parte fungitur officio Præceptoris inquit B. Gerbard. L. de Scriptur. S. S. 23*

17. Ex eo autem minimè inferre licet cum Pontificiis vel aliis, ac si tanti faciamus Ecclesiæ testimonium, ut simpliciter sit necessarium ad talem hominem convertendum, ut prorsus sine eo de autoritate Scripturæ ipsi nihil constet, longè enim aliud tenemus. Potest enim forte aliquis legere Scripturas ex iisque cõverti, uti Thes. 17. diximus. Unde & præter hoc Ecclesiæ testimonium alia argumenta adduximus, quæ omnia conjungenda sunt. Est enim testimonium saltem ministeriale, non magisteriale, vid. Thes. 15. Hinc rectè B. Gerbard. Confess. Cathol. lib. 2. Artic. 1. cap. 5. Ex 960. 2. pag. 223. Hoc officium Ecclesiæ non est confundendum cum ipsa Scripturæ Sacra & Divina, quæ solum proponitur ab Ecclesiâ, tanquam teste, Majestas autem Scripturæ ejus objectum est, quod nullo modo primò & per se ab adjuncto officio, sed potius hoc ab illo dependet. De quo Pl. Rev. & Excellent. Dn. D. PRÆSES in Compend. Theol. Disp. 3. Thes. 15, ita docet: Ecclesiæ Testimonium, etsi ipsū quoq; præclarum sit, nec primum tamen, nec summum est, nec fidem divinam, sed humanam gignit, nec denique hominem ad assentiendū nisi externe & manu quasi ducit atque invi-

D 2 lat.

tat. Iohann. 4. 39. seq. Conf. & Excellent. Dn. D. Kunad. Colleg. Theol. Diss. 1. Thes. 18.

28. Cæterum si vel maximè aliquid præstaret Testimoni-
um Ecclesiæ, id tamen intelligendum esset de primitiva & or-
thodoxa, non vero Pontificia Ecclesia, quam in Romanum Põ-
tificem resolvunt. Primò enim per Ecclesiam intelligunt Uni-
versum cœtum, quem deinde resolvunt in Concilia & Prælatos,
tandem in Pontificem Romanum, & ita Ecclesiam ex una per-
sona constantem faciunt, (cum tamen sit collectio multorum)
quæ si decedat, nulla Ecclesia erit in his terris, donec novus Põ-
tifex, & ita nova Ecclesia eligatur, quod non ita pridem per a-
liquot Menses accidit. Ne autem ipsis injuriam facere videa-
mur, âge ipsorum verba adducemus. Ita autem *Pontificiorum*
Princeps lib. 4. de R. Pont. c. 1. p. 310 §. Sed nec, profitetur: *In dispu-*
tatione de Verbo Dei jam ostendimus, iudicem Controversiarum non
esse Scripturam, nec seculares Principes, nec privatos homines, quam-
vis probos atq; doctos, sed Ecclesiasticos prælatos. In disputatione v.
de Conciliis demonstrandum erit, habere quidem Concilia tam ge-
neralia quam particularia iudicium de controversiis religionis, sed
illud iudicium tum demum esse firmum & ratum cum accesserit S.
Pontificis confirmatio. Proinde ultimum iudicium S. Pontificis e-
rit. Gregor. de Valent. Tom. I. Diss. 1. quest. 1. punct. 1 pag. 39. ita scri-
bit §. Jam igitur. Nomine Ecclesiæ intelligimus ipsum caput, id est,
Romanum Pontificem. Et §. Oportet. Oportet enim explicare, quid
in hac assertionem intelligamus nomine Ecclesiæ. — Hanc auctoritatē
(Ecclesiæ) plenè in Rom. Pontifice, & S. Petri successore residere, statu-
imus. Idem repetit punct. 7. pag. 226. quest. 5. contra quos Vid.
Scriptum Theologorum Wittebergens. Das man die Pâpstische Leh-
re meiden solle A. 1629. Edit. cap 3. p. 153. It. Hunn. Exam. Bellarm.
de V. D. scripto T. 2. p. 278. Nicol. Hunn. de Eccles. Rom. p. 1. 2.

29. Distingvunt aliàs Jesuitæ, inter Scripturæ S. autho-
ritatem in se: & quoad nos consideratam. Priorem depende-
re à D E O, posteriorem verò ab Ecclesia. Verum auctoritas
Scripturæ S. sicut una est, ita unicam saltem causam, & unicum
Principium, à quo sit, agnoscit, non duplex. Conf. *Thes. 6. Dist. 3.*
Et quemadmodum in se divina est, ita ab humano & extrinseco
Principio

44

Principio divina reddi nequit. Etenim Authoritas Script. S. quoad nos nihil aliud est, quàm manifestatio & cognitio Majestatis summae, quæ ipsi intrinseca atq; insita est. Quocirca scripturæ non novam auctoritatem quoad nos confert Ecclesia, sed saltem de illa testatur, nosque ad agnitionem ejusdem perducit. Unde nequaquam auctoritas Scripturæ etiam quoad nos ab Ecclesia dependet. Nam sicut literarum regis aut Principis auctoritas, non pendet ex Tabellarij eas afferentis, & de illis testificantis testimonio, neq; auri sive gemmarum quoq; pretiositas ex testimonio artificis; sed est interna literarum auctoritas, gemmarumq; præstantia, quam Tabellarius & artifex nobis saltem manifestavit: ita quoque cum Ecclesia se res habet; à qua, cum Scriptura S. suam in se habeat efficaciam & auctoritatem dependere nequit. Sic Epistola Pauli ad Romanos per Phœben missa, in se habebat authêticam suam auctoritatem, antequam Ecclesiæ Romanæ testimonium accederet, & ut Pauli reciperetur, quamvis Phœbe de ea non testaretur. Quod nec ipsi Pontificij diffiteri possunt. *Bellarmin l. 3 de Justif. c. 3. §. At inquit, ita scribit: Probatio Ecclesiæ facit, ut omnibus innotescat, objectum illud esse revelatum à Deo, & propter hoc certum & indubitatum, non autem tribuit firmitatem Verbo Dei aliquid revelantis. Et §. Itaq; Quis ita desipiat, ut verba Christi ab Ecclesia pendere arbitraretur. Jam fiat sublimitio de Bellarmino & reliquis Pontificiis §. Subseq. Deniq; Prophetæ & Apostoli, quibus immediatè divina mysteria revelabantur, nonne tenebantur ea credere, antequam ab Ecclesia probarentur. — Nam si Prophetarum & Apostolorum fidei falsum subesse potest, certè multò magis fidei reliquæ Ecclesiæ falsum subesse potest. Reliqua enim Ecclesia super edificatur super fundamenta Prophetarum & Apostolorum, uti loquitur Apostolus Ephef. 2. Vitus Erbermannus in proximè edito (Anno 1655.) Examine Examinis Conringiani pag. 72. §. 3. Verbum Dei nec à Pontifice, nec ab Ecclesia dependere, claris verbis demonstrat: Principium actuum fidei non est aliud, quam ipsa ratio formalis credendi mysteria fidei, nimirum prima veritas revelans. — Semper verum est apud omnes Catholicos, quemvis assensum mysteriorum fidei Christianæ vel formaliter, vel virtualiter inniti (indispensabiliter) istis duobus Principiis:*

Quicquid Deus revelavit hoc infallibiliter verum & credendum est:
& hoc N. Mysterium revelavit. E. non opus est ad omnem assensum
fidei propositione per infallibilem auctoritatem Ecclesie. Confirmatur
experientia, qua constat. Act. III. & IV. S. Petrum nulla facta mē-
tione Ecclesie & Prepositorum ejus multa millia ad fidem Christi
perduxisse: sed etiam alios plures viso miraculo, aut aliis illustriori-
bus fidei motivis perspectis credidisse in Christum, & sic etiam mar-
tyrio vel aliter vita defunctos, antequam de Ecclesia & posterioribus
Symboli articulis instruerentur. Plura ibidē legi possunt. Unde ita
argumentari licet: Quæcunq; Scriptura omnium Populorum
consensu dicitur divina, quæ usque ad hæc tempora integra cō-
servata, Martyrum sanguine & constantia obsignata fuit, & de
qua orthodoxa Ecclesia testatur, ea vere est divina & à Deo pro-
fecta: Scriptura S. & c. E.

30. Externis testimoniis succedunt interna de Scripturæ
S. auctoritate κειρήνια, quorum i. desumi potest ab objectorum
sublimitate, quæ inibi proponuntur. Siquidem ejusmodi my-
steria revelat, quæ omnem captum omnemq; rationem huma-
nam excedunt, & de quibus ex natura parum aut nihil constat.
Qualia sunt, mysterium Trinitatis, incarnationis, decretum re-
demptionis nostræ ab æterno factum, Lapsus Protoplastorum,
modus justificationis nostræ, Sacramentum Baptismi & S. S. Cœ-
næ, doctrina de resurrectione mortuorum, judicio extremo, &
vita Æterna, & quæ alia sunt, quæ mysteria sapiunt, de quibus
David ait, quod sint *Secreta Domini & mirabilia eius*. Ps. X XV. 14.
Ps. CXIX. 18. 27. 229. Item Paulus I. Corinth. II. 6. 7. 8. 9. 10. & quæ a-
deò desiderabilia sunt, ut etiam accuratissimi Philosophi ea
discendi vel audiendi cupiditate flagrantes Ægyptum se con-
tulerunt, quo à Populo Dei illa addicerent, sicut Historiæ de
Homero, Lycurgo, Solone, Pythagora, Platone, Heraclito, Democrito,
aliisque referunt. Huc referri potest complementum vaticini-
orum à Prophetis prædictorum. Ut de oppressione Ægyptia-
ca, regno Judæ usque ad Messiam duraturo, de captivitate Ba-
bylonica, serie quatuor Monarchiarum, de Christo, Anti-Chri-
sto orientali & occidentali. Cum primis visio & Vaticinium
Danielis de Alexandri M. regimine hic locum habet, de quo &
ipse

44

Ipsa Judaica antiquitatis scriptor lib. II. cap. 3. testatur: Cum enim aliquando Alexander M. exercitum perduceret adversus Judaeos, qui ipsum suo quodam facto exacerbaverant, eiq; Hierosolymis obviam procederet Jaddus Pontifex; sacro amictu indutus & Levitarum sacerdotumq; comitatu circumdatus. Rex Virum intuitus prociuus adorabat eum. Mirabatur Parmenio eiq; causam roganti respondebat Alexander, se non hominem illum, sed Deum, cujus Sacris ille praesit adorasse. Vidi enim, subiciebat eodem vestitu, dum in Macedonia adhuc cunctarer, Asiam bello petiturus essem, nec ne. Addidit verò hic mihi animum & se duce Persas debellaturum repromisit. Ascendebat itaq; Alexander in templum & praesente sacerdote summo, Deo offerebat sacrificium. Ubi, cum ei liber Danielis Propheeta afferretur, qui aliquot seculis ante praedixerat, Principem, ex Graecia oriundum Persas in suam potestatem redacturum, agnovit, se esse illum, de quo Daniel vaticinatus erat, Ideoq; Judaeis autonomiam & septimo quoq; annos immunitatem concessit.

31. 2. *A Styli singularitate*. Etenim non fucatus est, sed perspicuus atq; clarus res magnas, mysteria sublimia captumq; humanum prorsus excedentia, verbis ad captum legentium accommodatis describens, unde talis ejusdem evidentia, ut vivis quasi coloribus legentium auribus atq; oculis, res in Scriptura contentas depingat, atque exprimat, & omnia indissolubili nexu atq; vinculo ita connectat, unde mira inde suavitas hauriatur. Paucis verbis multas sententias complectitur, scribit Hieronymus homil. 24. in Gen. Cæterum & ita adornatus est, ut dicendi suavitate occulta quasi vi ac efficacia animum hominis convincat & fermè divinos effectus edat. Ier. XXIII. 29. Luc. XXIV 32. Job. VI. 63. Act. II. 37. de quibus paulò infra dicemus, & Brentius in Es. cap. 1 p. 8. ait: Tanta est verbi DEI auctoritas, tanta est dignitas, ut nulla sit majestas, vel in cælo vel in terra, quæ non debeat ei cedere. Cum loquitur Rex aut Imperator, omnes adstant reverentissimè & audiunt observantissima attentione, & tamen si magna ex parte loquuntur, ut nihil dicam humana, aut potius Sylvestria & venatoria, de Apris, de cervis, suis, aut si præclara, de bellis, de hominum laniena: aut si utilia de iis rebus loquuntur, quæ afferunt tantum humanam quandam externam & civilem pacem atq; tranquillit.

quillitatem. Quæ a Deo loquitur afferunt Auditori cœlestem & perpetuam salutem. Et is est Deus, ut etiamsi loqueretur ea, quæ ad nos parum pertinerent, tamen summa ejus majestas & omnipotentia merentur hominum audientiam. Quare nihil nobis prius est, quam ut audiamus verbum DEI.

32. 3. A miraculorum celebritate, quorum Scriptura S. plena est. Etenim, sicut ex sigillo scriptum quoddam authenticum deprehendimus, ita & Deus verbum suum miraculis confirmare & obsignare voluit. Nam discipuli prædicarunt omni creaturæ cooperante Domino & sermonem confirmante sequentibus signis Marc. XVI. Ult. Signa autem erant in nomine Iesu Dæmonia ejicere, linguis novis loqui, serpentes tollere, Si mortiferum biberint, ut eis non noceat. Ægrotos sanare vers. 17. 18. Sic Christus ad Regulum dicebat, nisi signa & prodigia videritis non creditis. Ioh. IV. 48. quæ iterum omnem naturæ captum excedunt, solumque DEUM auctorem agnoscunt, qui solus mirabilia facit. Ps. LXXII. 18. 19. Psalm. CXXXVI. 3. 4. Sic cum Moses populum Dei ex Ægypto educendi à DEO mandatum acceperat, regerebat, non audient me atque credent, respondebat Dominus, mitte manum in sinum tuum, &c. & sic facito coram Populo Israëlitico, tunc tibi credent. Ex. IV. quibus in dies nova miracula succedebant, De miraculis ab Apostolis factis ex singulis ferè capitibus Actuum constat, quo referri possunt loca. Ebr. II. 3. 4. Rom. XV. 18. Quæ de re Augustinus in quest. ex utroq; Testament. quest. 114. disserit: Ut ad fidem Dei accederemus, & filium ejus incarnatum & crucifixum crederemus, non verbis suavisum est, sed rebus. Vidimus enim mortuos suscitatos, leprosos mundatos, cæco nato oculos restitutos, dæmonia ejecta & simul omnes infirmitates curatas. Si ergo traditioni humane nulla suadente virtute, quæ ad illudendas hominum mentes inventa est, fidem dedimus, quanto magis huic, quam divinam & edificans omnia signa, quæ Deum invocant, contestantur. — Hinc factum ut Dei providentia cujus sensus investigari non potest, prædicationi suæ virtutem adjungeret, ut veritas prædicationis virtutis testimonio probaretur, ut qui verbis contradicerent, virtutibus non audirēt. Conf. Hun. Tr. Was einen Christen zu Glauben nötig c. 1. §. 28 seq.

33. 4. Ab antiquitate. Constat enim scripta Mosis, præcipuè verò

4

verò ipsum verbum Dei, antiquitate omnia alia scripta humana antecedere. Siquidem Protoplastis primum Evangelium predicatum in Paradiso ab ipso Deo fuit, quod deinde à Mose conscriptum est. Antiquissimum verò quodq; verissimum est. Deinde, Lex naturæ est: Deum esse colendum, quomodo autem hoc fieri debeat, id revelationis est. Unde necesse est, verbum Dei, quamprimum homines fuerunt, ipsis quoque revelatum fuisse. Cæterum & Historici testantur, antiquissimum Mosen fuisse Scriptorem. Vetustiora Scripta non agnoscunt nisi Homeri, qui longè post Mosis tempora vixit. Conf. *Theol.* 19. 21. Huc refero testimonium *Augustini*, qui simul & hoc ex Scriptura Sacra probat, *lib. 18. de C. D. c. 39.* *Trismegistus ille Mercurius, cujus Scriptura luculentam fidem haud dum potuerenancisci, fuit nepos majoris Mercurii, cujus Avus Maternus Atlas Astrologus, & Promethei aequalis, vixit eo tempore quo Moses miraculorum suorum fama orbem terrarum implevit. Mosaica itaq; scripta cætera quacunque auctoritate antecedunt. Et dictum est de illis quod habetur, Act. XV. 21. Moses à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur.* Unde tale nascitur argumentum. Quicumque liber continet. 1. Mystera divina. 2. eaq; peculiari modo proponit. 3. cujus doctrina, miraculis confirmata & 4. antiquissima est, ille nō est ab homine scriptus, aut excogitatus, sed *Θεόπνευτος* liber Scripturæ est talis. E. Major constat, quia Solius DEI est mysteria revelare, quæ mundo abscondita sunt, patefacere, miracula verè divina edere. Minor ex dictis claret.

34. Hactenus itaque proposuimus testimonia tum externa, tum interna, quibus Ethnicus cōvertendus moveri potest ut fidem adhibeat S. literis nihilominus tamen ea omnia hominē ad credendum inducunt quidem, nondum autem convincunt, Quâ de re *Excellent. & Pl. Rev. Dn D. Carpzov. System. Theol. Artic. 1. Aphor. 7. pag. 49. cap. 3.* scribit: *Sunt quidem illa suasoria sed non persuasoria, & inducere possunt ad credendum probabiliter, solus autem DEUS per scripturam ipsam divinam fidem conciliat & inducit certitudinem.* Et *Tarnovius Prolegom. in Evangel. Johan.*

E

cap. 3.

*cap. 3. quest. 2. pag. 30. ita habet : Unde hoc nobis constet. (Evan-
 gelium Johannis esse verbum DEI) quibus verbis Tria compre-
 hē-
 duntur. Primum est, causa tam Efficiens Principalis quam instru-
 mentalis & organica hujus notitię & assensus, s. fidei : Illa est Spi-
 ritus S. hęc Scriptura S. Ubi accurate distinguendum inter has cau-
 sas, & inter alia, quę fuerunt aut occasiones credendi, aut argumē-
 ta inducentia animum ad credendum. Nam hęc posteriora fidem
 naturalem sive humanam & acquisitam tantum generant, illa
 priora fidem supernaturalem, sive divinam & infusam efficiunt. Quā-
 vis itaque argumenta, quę infallibiliter persuadeant, & evincāt
 nulla dentur, neque per eam Spiritus S. testificationem & illu-
 minationē internā, quatenus in me est & operatur adeoq; mihi
 tantum cognita ille cōvinci potest, nihilominus tamē, dū legit
 Scripturas S., tunc ipsum verbum in se inditam vim & efficaciam
 habet, ut cor hominis tangere atque movere possit, quod patet
 ex ijs Scripturę S. dictis, quibus verbum dicitur veritas, poten-
 tia ad salutem, Spiritus & vita, &c. Conf Rom. 1. 16. Ebr. 4. 12, 13.
 Johan. 6. 63. Actor. 13. 26. 1. Corinth 1. 18. Ephes. 1. 13. 2. Timoth. 3.
 15. Unde comparatur Semini Luc. 8. 6. 11. 1. Petr. 1. 23. Semen ve-
 rō in se habet vim & potentiam fructificandi, Marc. 4. 28. E. &
 verbum; Igni, Deut. XXXVI. 2. Jerem. XXXII. 19. qui etiam in se
 internam potestatem atque vim calefaciendi & urendi habet :
 Simili modo verbum DEI scriptum in se habet vim & potentiam
 inditam etiam quoad actum primum corda spiritualiter pene-
 trandi Ebr. 4. 12. & inflammandi, unde factum, cum Christus
 Discipulis, Emaus euntibus Scripturam interpretaretur, cor
 ipsorū inflāmaretur. Nōne, dicebāt, ardebat, cor nostrū, dum adape-
 riret nobis Scripturas. Luc. 24. 32. Quā de re Excellent. Dn D. Car-
 pzoV. System. Theol. Art. 1. Aphorism. 7. § 3. p. si. eleganter scribit:
 Etenim Scriptura S., non modo per modum Principiorum scientifi-
 corum sese insinuat in pectora hominum, sed etiam quoties legimus,
 in ea tot contestationes sacrōrum Amanuensium vocationem suam
 & illuminationem peculiarem sincerē asserentium & ipsam Scriptu-
 ram in mente versamus sive per lectionem, sive per auditionem, toties
 non objectivē tantum tangitur animus, sed etiam effectivē movetur
 & inducitur noster intellectus ad assentiendum, voluntas verā ad
 obse-*

4.

obsequendum, & ita mirabiliter ipsa Scriptura efficax est ad generandam fidem divinam sibi debitam, sicut Christus inquit: Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Si quis voluerit, quod ille vult facere, cognoscet de doctrina, utrum ea à DEO sit, an ego ex me ipso loquar. Johan. VII. 16. 17. Idem docet Origines T. 4. lib. 1. contra Celsum fol. 4. Decebat enim hunc orbis terrarum fabricatorem & qui universo mundo leges dedisset, dictis suis eam vim indere ut tenere omnia ac vincere, quae ubiq; terrarum sunt, possent. Et lib. π ε ρ ι α ρ χ ω ν. Sed & si qui cum omni studio & reverētia, qua dignum est Prophetica dicta consideret, in eo ipso dum legit & diligentius intuetur, certum est, quod aliquo diviniore spiramine mentem sensumq; pulsatus agnoscat, non humanitus prolatos esse eos, quos legit, sed DEI esse sermones: & ex semetipso sentiet, non humana arte, nec mortali eloquio sed divino (ut ita dixerim) Cothurno libros esse conscriptos. Conf. Cyrill. in cap. XV. Johan. f. 179. Origin. Tom. 1. Homil. 1. super. Exod. f. 29. Franc. Titelm. in Ps. 118. f. 264. Balduin. Comment. in 2. Timoth. 3. quest. 3. p. m. 647. Celeber. Dn. D. Hulseman. Man. Aug. Confess. Disp. 1. Thes. 20. pag. 16. Excellent. Dn. D. PRÆSES Compend. Theol. Disp. 2. Thes. 10. qui omnes de efficacia verbi divini prolixius agunt.

35. Deinde ipse Spiritus S. tam efficax est per verbum in Auditorum aut lectorum animis ac cordibus internè operans, ut certum ac infallibile testimonium verbo suo perhibens fidem divinam faciat, dicitur enim sigillum & obsignaculum cordium nostrorum 2. Corinth. 1. 22. Eph. 1. 13. cap. 4. 30. quando itaq; verbo divino excitatur & per internum Spiritus S. testimonium convincitur, & confirmatur infidelis, hoc esse verum DEI verbū quod legit, tunc argumenta cogentia, fidemq; divinam gignentia habemus: Qui enim in conscientia sua certus & convictus est, de veritate divina, non pro opinione tantum habet dogmata, quae credit, quā melior forte doceri, vel à qua rationibus & argumentis dimoveri queat, sed pro sententia ipsius Spiritus S. indubitat, irrefragabili, & invincibili, docet Pl. Rev. & Excellent. Dn. D. Calov. Coll. Anti-Armin. Disp. Ult. §. 14. pag. 623. Et Excellent. Dn. D. Carpz. l. c. §. 4. Dupliciter hic concurrat scriptura, semel ut Principium μ α ρ τ υ ρ ο ς sive cognoscendi, quia ex sola scriptura innotescit, & pro-

per solam scripturam creditur divina eius & Canonica auctoritas. Johan. 4. 42. Deinde verò ut est Principium *πρώματος*, quatenus Spiritus S. per eam operatur vires supernaturales ut quis credere posset scripturae fide divina, & per eandem postea elicit actum sive exercitium illarum virium supernaturalium. Testificationem verò Spiritus S. internam ex variis scripturae dictis confirmare possemus utpote 1. Corinth. 11. 4. 1. Thessal. 1. 3. 4. 5. seq. Ephes. 1. 13. Johan. 3. 33. 1. Johan. 5. 6. Nihilominus tamen unicum saltem pro stabilienda nostra sententia in medium adducemus.

36 I. Joh. V. 6. ita scribit Apostolus: Spiritus est, qui testificatur quoniam Spiritus est veritas. In Græco ita sonat: *Καὶ τὸ πνεῦμα ἔστι τὸ μαρτυρῶν, ὅτι τὸ πνεῦμα ἐστὶν ἡ ἀλήθεια*. Pontificii in vulgata suâ ita reddunt, quoniam Christus est veritas. Sed malè. Ipse Cornel. à Lapide in b. l. pag. 504. fatetur, quod cū Græco consentiant Syrus, Vat. ablus, Cajetanus. Clarius q. d. scribit, Spiritus est, qui recenter in Pentecoste testificatus est, Christum esse Dei filiū. Illi ergò credendum est, quia hic est Spiritus veritatis ipsaq; veritas. Et Leo Papa Epist. 10. cap. 5. etiam legit: Quoniam Spiritus est veritas, citante Estio Comment. in b. l. pag. 1291. Qui tamen ipse ab hac lectione recedit. Ne autem ipsi anathema dicatur, si à vulgata recedat, statim subjicit: Verum genuina lectio est, quoniam Christus est veritas, de Christo n. hic agitur non de Spiritu, & Christi nomen propriū est veritas nō Spiritus S. Verū haud facile ex textu probabit Jesuita, quod per τὸ πνεῦμα postremo loco positum hic intelligatur Christus. Neque & hoc omninò verum est, quod Spiritus S. non possit dici neque dicatur in Scriptura S. veritas. Cum hæc sit attributum divinum, quod & in abstracto de Deo prædicari potest, quippe quod & ipsa essentia divina dicitur; quod verò de D E O dicitur; id quoque de S S. Trinitatis personis verificari debet; de DEO autem dicitur, quod sit verax, Rom. III. 4. quod nō mentiatur, Exod. XXIII. 19. E. & hoc de Spiritu S. affirmandum erit. Addo & hoc, quod de ipso dicatur, quod sit Spiritus veritatis, Job. XIV. 17. ducens nos in omni veritate cap. 16. 13. Rectius itaque sentit Marloratus Commentar. in b. l. pag. 1103. Vocatur Spiritus S. Spiritus veritatis, quia indubia sit auctoritas ejus, nobisq; abunde sufficere debeat. Testatur

enim

4.

enim Spiritus Sanct. per verbum doctrinae sive in credentium cordibus. — Sic enim loquitur Christus: Spiritus veritatis testimonium perhibebit de me. *Iohan. XV. 26.* Cui autem rei tandem daret testimonium, nisi certissima? Est enim ille Spiritus veritas, id est, verax. Abstractum enim pro concreto sumitur, ut cum dixit: Fidem esse mundi victoriam, id est, victricem. Sanè Christus ipsum Spiritum S., Spiritum esse veritatis, dicit. *Iohan. XIV. 17. cap. XV. 26. cap. XVI. 13.* Spiritus E. verax (vel veritatis) rectè dat testimonium veritati. Huc faciunt verba B. Gerhard Harmon. *Evangel. cap. 176. p. m. 488. in loc. Iob. XVI. 13.* Dicitur Spiritus veritatis ratione essentiae, Spiritus veritatis est Spiritus verax Phrasi Ebraea, quia ut est verus cum Patre & Filio Deus, ita quod essentialiter est ipsa veritas. *Conf. cap. 179. pag. 1098. B. Lyser. in 1. Epist. Iob. cap. 5. 6. Aphor. 13.*

37. Quicquid tamen sit, cum vocabulum Spiritus hoc loco bis occurrat, dicimus per prius intelligi ipsum Spiritum S. per posterius verò verbum sive Evangelium. De priori nullum est dubium, siquidem Spiritus S. passim in Scriptura Spiritus dicitur, in hoc ipso *cap. 5. 1 Iob. v. 7. Act. V. 3. Iob. XIV. 17. cap. XVI. 13.* & alibi: de posteriori adhuc difficultas est. Cum autem sapius Spiritus pro verbo Christi sive Evangelio in Scriptura S. usurpetur, non alienum erit, hic quoque ita interpretari. Est enim Metonomia causæ, quando Efficiens pro effectu ponitur, Spiritus pro operibus Spiritus S. Intelligitur itaque per Spiritum h. l. salutis Organon, & cœleste Evangelii Christi Verbum quod Spiritus dicitur, quia eius author, & per illud peculiari-ter ad salutem efficax est Spiritus S. Sic Christus inquit: *verba quæ ego loquor, Spiritus & vita sunt. Iob. VI. 63* quia scilicet à Spiritu S. profecta sunt, & ex fonte vitæ profluxerunt, quia Spiritualem & divinam virtutem in se continent, quia Spirituales effectus edunt & hominem vivificant hæc enim tria sunt conjungenda, in quibus posterius semper fluit ex priori, inquit, B. Gerhard. *Exeg. L. de Scriptura S. §. 307. p. 324.* D. Paulus dicit: *Lex Spiritus vitæ per Christum Jesum me liberavit à Lege peccati & mortis*, ubi per legem Spiritus verbum Evangelij intelligit. Remanebit E. quod h. l. intelligatur testimonium Spiritus S. de verbo à nobis recepto juxta *Rom. VIII, 2. & vers. 16.* Spiritus testatur cum Spiritu, quod simus

filii DEI. Unde assensus conscientiae nostrae accedit, Iob. III. 32. qui recipit testimonium, is obsignavit DEUM veracem esse, & convictio intellectus per Spiritum S. facta, quando cognosco interpretationem meam sive intelligentiam objecti ad credendum propositi convenire cum mente primi revelantis. Exemplum hujus rei in ipsa Scriptura S. nobis proponitur Iob. IV. Ibi Samaritana mulier postquam viderat atque audierat Christum, abiit in civitatem, dicens incolis v. 19. Venite & videte hominē qui dixit mihi omnia quae feci, nunquid ipse est Christus? Cæterum cum ipsi Samaritani Christum audivissent, sermoni ejus credebant dicentes mulieri v. 42. Non amplius propter tuos sermones credimus, ipsi enim audivimus & scimus hunc est verum Salvatorē illum mundi Christum. Unde vero illa scientia nisi ex testificatione & internā obsignatione Spiritus S.? Nam motus Spiritus S. in cordibus piorum excitati non sunt torpidi & remissi, sed vivi & efficaces. Quemadmodum enim tenues exhalationes vel à terra, vel ab aquis, vel à sanguine vel ab humoribus animantiū, (quæ itidem dicuntur Spiritus) sunt valde efficaces & potentes, sic Spiritus S. in cordibus hominum immutandis, movendis, inflammandis, &c. magnam vim & potentiam esse opera ipsa testatum faciunt, uti docet B. Gerbard. Harmon. Evangel. cap. 176. p. 499. Accendit enim in cordibus nostris fidem, per quam veritati in verbo revelatæ firmiter assentimus cum nec viribus intellectus naturalis ad ejus agnitionem aspirare nec viribus voluntatis intellectū ad assensum flectere possimus scribit dictus author p. 500. l.c. Eadem ferè habet cap. 178. p. 496. Conf. & Ravensp. Hort. Theol. p. 160. Quare fit ut ita homines convicti, verbum DEI accipiant, non ut sermonem hominis, sed ut sermonem DEI, uti factum à Thessalonicensibus. I. Thess II. 13. huc alia loca referri possunt, quæ agunt de informatione, testificatione & obsignatione Spiritus S., ut. I. Corinth. II. 4. 10. 11. seq. I. Iobann. II. 27. Johan. VI. 45. Act. 17. 11. Ephes. 1. 13. Conf. Thes. 35. Augustin. contra Epistol. fundament. c. 5. Sequamur eos, qui nos primum invitant credere, quod nondum valemus intueri, ut fide valentiores facti, quod credimus intelligere mereamur, non jam hominibus, sed ipso DEO intrinsecus jam mentem nostram firmante, illuminante. De loco vero Johanneo Conf. Magn. atq; Celeber. Dn. D.

4.

Dn. D. Hülseman. Supplement. Breviar. cap. 1. Thes. 5. & 7. Luc. Osiand. in 1. Johan: 5. p. 808. Excellent. Dn. D. PRÆSES Compend. Theol. Disp. 3. §. 4. & Dn. D. Carpzov. System. Theol. Aph. 1. Art. 1. §. 3. p. 60. Gerh. Loc. de Script. S. §. 9. Glass. Rhetor. Tr. 1. c. 1. p. 3. Flac. Clav. part. 1. Coll. 1162.

38. Cæterum non existimandum est, ac si hic committamus circulum, dum ex Testimonio Spiritus S. Scripturam S. & ex Scriptura S. Testimonium Spiritus S. probamus, quod nobis Pontificii affingunt, cum primis *Valerianus M. in suo judicio de A catholicorum credendi regula.* Nam hæc ratione etiam locum haberet Circulus, quando in Sacris Moses & Prophete probant Christum, & Christus Mo sen & Prophetas. Simili modo Johannes Baptista Christum Messiam, & rursus Christus Johannem Baptistam Prophetam esse testatur *Ioh. 1. Luc. VII.* quem modum probandi confirmat *Altensteig. in Lexic. in verbo, probatio p. 744.* Quare Circulus tum demum proprie est, cum probatio in orbem redit, ita ut non resolvatur in notius atque certius, sed in æquè ignotum. *Qualem circulum passim committunt Jesuitæ, quando à Papa ad sensum Scripturæ Papisticum, & vicissim à sensu Scripturæ Papistico ad Papam argumentantur, ut docet Pl. Rev. & Excellent. Dn. D. Scharff. Instit. Logic. lib. 2. cap. 6. p. 799. Et Pesantius in Thom. 2 f. 467. scribit: tunc demum committi circulum, quando probatio fit ejusdem ab eodem, secundum idem.* Jam verò in nostra probatione hoc non fit. Spiritus quidem probat sensum & mentem obsignat, & hæc mentis obsignatio iterum testatur de Spiritu, sed hoc non fit secundum idem. Differunt enim tanquam causa & effectus. Spiritus primariò operatur & efficit talem probationem & obsignationem de Verbo Dei in corde nostro, & deinde hæc obsignatio, tanquam effectus de suâ causâ (Spiritu) testatur. Utrum verò hoc sit circulum committere, an legitima argumentatione uti inde colligi potest quod ab Effectu ad causam, & à causa ad effectum argumentari rectè liceat.

39. Cæterum distingvendum quoque est inter *Circulum*, qui est vel *Formalis*, quando Propositiones non tantum in se sunt & manent eadem, sed & ut æquè ignotæ animo adversarij obij-

objiciuntur, quo in casu semper ignotum per æquè ignotum probatur. Et hic est vel *simpliciter talis*, ubi præmissæ ex conclusione probantur eo modo, quo talis conclusio ex præmissis cognita fuit; vel *secundum quid*, ubi præmissæ probantur ex conclusione, non prout ex iisdem deducta fuit, sed quatenus aliunde innotuit, & talem circulum sive simpliciter talem sive secundum quid, nequaquam committimus: vel *Materialis*, quando Propositiones illæ, quæ modo loco Conclusionis, modo loco præmissarum ponuntur, manent eadem in se spectatæ, ita tamè ut illi, cum quo res sit, appareant evidentiore vel minus. Sic *Arist. 2. Post. c. 7. 9.* ex abundantia Vaporum demonstravit pluviam, & ex hac abundantiam Vaporum, non quidem illà, ex quâ pluvia probatur, sed alià ab istâ diversa. Et talis Circulus aliàs Logici dicitur regressus demonstrativus, quo ex effectis causa investigatur, & per hanc effectus iterum demonstratur, quem & *Albertus M. in 1. Poster. Tr. 2.* concedit: *Non modo, inquit, liceet Philosophis probatione circulari uti, sed etiam est utile.* Quod idem *Thomas* facit. *Conf. Arist. 1. Poster. cap. 3. Connimbrincens. in b. 1. Arist. quæst. 1. Art. 1. 2. seq. Gerhard. Confess. Cathol. lib. 2. art. 2. Append. p. 321. Tarnov. proleg. in loban. c. 3. p. 43 Dieteric. Instit. Cat. L. de Script. S. quæst. 23. p. 29. alijs.* Plures objectiones sibi hac de re format & ad eosdè respōder. l. c. Et in *Synops. Controvers. de religion. Edit. Salmur. An. 1634. Tit. 4. de Testimonio Spiritus S. §. 5. pag. 12.* contra Pontificios hoc modo disputatur: *Etsi verò è Scriptura sola discamus, non nisi vi spiritus Scripturam intelligi posse, non sequitur verbum & Spiritum apud nos circulari quadam argumentatione in mutuo testimonio niti, utroq; incerto. Scimus enim nos habere Spiritum ex testimonio Scripturae tanquam argumento, eoque indubitato, ob divinitatem quæ sponte suâ in Scriptura lucet. At certitudo cognitionis divinitatis istius pendet à Spiritu, tanquam à facultate præstantissimè constituta, objectum suum convenienter apprehendente. Quo genere certitudinis, nihil potest dici firmitus aut evidentiùs. Utrum verò Pontificii legitime citra circulum argumententur, quando ita procedunt. Quod Pontifex dicit, illud verum est, cur autem hoc verum est? quia Scriptura dicit: cur hoc quod Scriptura dicit, verum est?*
quia

45

quia Ecclesia dicit, cur hoc? quia Pontifex dicit, videant ipsi, quod accuratè satis contra ipsos demonstrat. Dn. Tarnov. prolegom. in Job. cap. 3. quest. 1. p. 39. 40 seq.

40. Cum itaque sic constet, unde certus quis de auctoritate esse possit, quam Pontificij ab Ecclesia esse contendunt, operæ pretium erit, ulterius probare, Scripturæ S. auctoritatem ab Ecclesia, tanquam Efficiente non esse nec dependere, idque fiet sequentibus rationibus. 1. *Ex Scriptura S. Θεοπνευσία*, hoc modo: Quicquid est Θεοπνευστον, hoc auctoritatem suam non habet ab Ecclesia, tanquam Efficiente: Scriptura S. est tale quid. E. Major in confesso est. Etenim Ecclesia saltem humanam fidem gignit, & quicquid ab eâ provenit, saltem auctoritatem humanam obtinet. Est enim testimonium hominum. Omnis verò homo mendax. Psal. 116. 11. Huc referri possunt ea, quæ Arminius contra Pontificios Orat. de certitud. Theol. p. 107. disputat: *Non sufficit veracitas dicentis ad fidem testimonio conciliandam, nisi de veracitate testantis constet, illi, cui fit testificatio. At quomodo constare poterit de veracitate Ecclesia? Aut ex preconcepta olim motione aut impressione recens facta in animis auditorum. Nulla hominibus innata est notio de veracitate Ecclesia, illius instar, quæ DEUM dicit esse veracem & mentiri non posse. Impressa ergo si necesse est recenti aliqua actione, & impressione quidem, aut intrinsecus, aut extrinsecus facta. Intus imprimere non potest Ecclesia, exterius tantum instrumentis testificans & ad interiora anime non pertingens. Externa ergo erit impressio, quæ nulla potest esse alia, quam scientia, probabilitatis, & sæpè verè dicti testimonii cōmonstratio: At ista omnium opinionem tantum varere possunt in animis illorum, quibus obijciuntur. Opinio ergo & non scientia est efficacitatis illius supremus effectus.*

41. Deindè dignitas effectus dependet à dignitate causæ. Verbum autem Dei est ipsius effectus, imò est ipse Deus loquens, qualis itaque auctoritas Dei loquentis, talis quoq; verbi Dei est. Interna enim ipsi insita est vis & Majestas, quare non dependet ab aliquo extrinsecò Principio juxta Ps. C XIX. 1571. *Jā pridem novi ex testimonio tuo, te in secula fundasse ea* Nov t E.
F hoc

hoc ipsum David ex Scriptura sive verbo Dei. Cæterum minorem probamus ex Scriptura S. *II. Timoth III. 16. Omnis Scriptura divinitus est inspirata.* Ubi perinde est sive particula omnis collectivè seu pro omnibus partibus Scripturæ S. simul sumtis accipiatur, ut quidem *Dionys. Cartusian. capit.* quo sensu & vocabulum $\pi\acute{\alpha}\sigma\alpha$ *Matth. III. 5. Coloss. 2. 9.* accipitur. Conf. *B. Gerhard. Exeg. Loc. 1. §. 373. p. 398. Baiduin. Comment in b l. p. 637. §. quest. 2. p. 647;* sive distributive pro singulis ejus libris & librorum particulis, quæ hodie in Canone continentur; nam & hæc $\text{θεο}\omega\text{ρευ}\eta$ sunt & à Spiritus Amanuentibus inspiratæ, atque tum quoad verba, tum sensum etiam dictatæ, quod Petrus testatur. *II. Epist. I. 21.* Sic Moses omnem legem ex ore Dei accepit *Ex. XX. 1. Num XII. 6. 7. 8.* Nihilque scripsit, nisi quod Deus ipsi dictitabit. *Exod. XXXIV. 27. c. XXIV. 3. c. XXV. 1.* Quod populo Dei proponitur tanquam Verbum Dei cui nihil addendum nec detrahendum. *Deut. IV. 2. 17. 32.* sic & per omnes Prophetas locutus est Spiritus S. *II Sam. 37. 7. Ecclesiast. XI. 9. 10. 11.* quod & de reliquis Sacris Scriptoribus, Evangelistis & Apostolis dicendum est. Conf. *Luc. I 17. Matth. X. 20. Act. II. 4. 7. 8.* Unde *Chrysostronus Homil. 3. de incomprehensibili Dei naturâ* scribit: *Cum Esaiam dico sententiam Spiritus S. intelligo. Propbeta enim non nisi quæ divinitus inspirantur scribit ac loquitur.* Idem *Homil. 27 in Gen.* Non simpliciter ea, inquit, quæ in Scriptura S. continentur accipienda sunt, cum multas sēsū habeāt divitias, cū sint dictatæ à Spiritu S. neq; Syllaba aut articulus in Scriptura S. est, in cuius profundo nō est ingēs Thesaurus. Et *Orig. Hom. 2 in Exod. Sacra volumina,* ait, *Spiritus plenitudine spirant, nihilq; est sive in Propbetia sive in Evang. sive in Apostolico scripto, quod non à plenitudine divina majestatis descendat.* Conf. *eund. Tom. 4. lib. 4. de Princip. f. 150. Ab init. libr. seq. Franc. Titelm. in Ps. 45. f. 89 fac. b. Pl. R. Dn. D. Kunad. Colleg. Theol. Disp. I. Tb. 18. Hun. in Epist. ad Ebr. cap. 1 p. 885.*

42. 2. *Ex Testimonij humani rejectione.* Ipse enim Christus testimonium humanum rejicit, quia scilicet debet gignere fidem divinam *Iob. V. 34.* Ego ab homine testimonium non acci-

4.
accipio. Et *vers. 36.* Testimonium habeo majus testimonio Jo-
hannis. Unde tale nascitur argumentum: Ut se habet autho-
ritas Christi respectu nostri, ita & Scripturę Canonice: Atqui
Christus respectu nostri auctoritatē habet ex seipso, ita ut nul-
lius hominis, aut Ecclesię testimonio indigeat. E. & Scriptu-
rę Canonice auctoritas ita se habet, Major constat: quia Scri-
ptura S. est vox Christi, unde dicit, *vocem meam audiunt oves
meę Job. X. 27.* Qua de re *Form. Concord.* ita scribit: *Ego cognosco
oves meas, & vocem meam audiunt, & sequuntur me, & ego do i-
pſis vitam eternam & qui secundum propositum ordinati sunt ad
capiendam hereditatem audiunt Evangelium, credunt in Christum,
invocant Deum eiq; gratias ajunt. Sic scilicet Spiritus S. testimoni-
um electis perhibet, quod sint filij Dei, & cum quid petendum sit, ne-
sciunt, sicut oportet, ipse Spiritus pro eis intercedit gemitibus inenar-
rabilibus. Præterea Scriptura testatur, Deum qui nos vocavit ad e-
fidelem esse, ut cum bonum opus in nobis inceperit, illud conservare
& continuare atq; ad finem usq; perducere & perficere velit: si modò
non ipsi nos ab eo avertemus, sed initium substantiæ usq; ad finem
firmum retineamus: ad quam constantiam suam nobis gratiam pro-
misit, hanc revelatam Dei voluntatem inquiramus meditemur,
atq; ut eidem pareamus sedulo elaboremus; quandoquidem Spiritus
S. per verbum (quoniam nos vocat) gratiam vires & facultatem largiri
vult. Per vocem itaque Dei, Evangelium & verbum Dei intelli-
gimus, cum *B. Gerb. T. 2. de Elect. c. 8. §. 171. p. 194.* Et quia Judæi nec
verbum Christi audiebant, nec miracula curabant, ideò dicit
Christus eos non esse ex ovibus, quod patet ex *cap. V. 46. 47.* *Si
crederetis Moſi, crederetis & mihi, quia scripsit de me, si autem illius
litteris non creditis, quomodo mihi credetis.* Jam quod dicitur de
causa dicitur & de effectu, cæteris scil. paribus: De Christo dici-
tur quod habeat auctoritatem in se. E. & de Effectu (voce sive
Verbo Christi) idem dicendum erit. Minor ex loco adducto
Job. V. 34 patet.*

43. 3. *Ex officio Spiritus S.* Si Spiritus S. testatur de Scri-
ptura S. quod sit verbum Dei non opus est testimonio unico hu-
mano Ecclesię: Atqui testatur. E. Minorem probavimus su-

pra. *Thef.* 36. 4. *Ex ordine causa & effectus*: Omnis causa prior est effectui: Scriptura S. est causa Ecclesiae. E. Minor probatur, quia Ecclesia fundatur in verbo Dei. Superædificati enim sumus super fundamenta Prophetarum & Apostolorum. *Ephes. II* & verbum est nota Ecclesiae, ubi verò nullum verbum, ibi nec Ecclesia esse potest. Hinc rectè sentit *Armin Orat. de Certitud. Theol. p. 107. Non est Ecclesia antiquior illo dicto: Semen mulieris conteret caput serpentis, quanquam fuit illa, cum hoc nondum dictum esset a Mose in Scripturam relatum. Fides enim isti dicto, tanquam divino habita, fecit ut Adam & Eva essent Ecclesia Dei, cum antea essent transfuga, desertores, regnum Satanae desertoris. Deinde ita infero.* Nullus effectus ab aliquâ causa per se dependens potest produci sine illa causa. At notitia & assensus de Scripturæ S. divinitate potest produci sine testimonio & autoritate Ecclesiae. E. Testimonium Ecclesiae non potest esse causa autoritatis Scripturæ S. Major luce meridiana clarior est. Minor patet ex *Thef. 27. 28.* exemplis adductis & cum primis ipsâ adversariorum Confessione *Thef. 29.* Concludo itaque verbis *Ravensperg. in Hort. Theol. p. 334 q. 8. Detestandam & ad inferos relegandam arbitramur eorum maliciosam audaciam, qui Scripturæ autoritatem ex Ecclesiâ suspendunt, atq; ita reverâ Scripturam Ecclesia inferiorem faciunt.*

44. Denique quodcunque testimonium est humanum, incertum non primum nec summum, nec perpetuum, nec solû, nec convincens, id non est divinum, legitimum, nec superius Scriptura S. Testimonium Ecclesiae est tale. E. Majorem existimo non indigere probatione; minorem brevibus quoad singula membra probo. 1. *Est humanum*, quia ab hominibus proficiscitur, uti *Thef. 40.* diximus. Testimonium autem, quod fidem divinam & infallibilem facere debet, divinum sit, necesse est, quale Ecclesiae testimonium non est, quare potius Spiritus S. vox in S. literis loquentis & testificatio attendenda est. Nam *fides est ex auditu verbi Rom. X. 17.* Illa enim nihil aliud est, quam habitus supernaturalis & divinitus infusus, quo fiducialiter adhaeremus veritati, quæ immediatè à Spiritu S. per media ordi-

maria

maria operante originem suam habet, unde etiam in infideli
 convertendo per solam Scripturae propositionem, explicationem
 & applicationem produci potest & debet, qualem fidem Eccle-
 sia qua talis conferre non potest. *Fides enim & verbum D E I*
perpetua sunt relata, ubi proinde non est divinum testimonium, sed
duntaxat humanum. illi non gignitur fides, sed opinio docet B. Meiss.
Disp. contr. Pontif. de auctorit. Script. S. Thes. 5. It. Thes. 11. Ecclesiae te-
stimonium duntaxat humanum est. Sive enim presentem Eccle-
siam intermediam sive primitivam intelligas, nihil ea est aliud quam
cætus hominum graciosè vocatorum. Testimonium ergò Ecclesie
est testimonium humanum, à quo solo si Scripturae auctoritas, quo-
ad nos dependet, tunc fidei nostrae analysis non in verbo Jehovah in-
fallibili, sed in hominum, imò unius mendacis hominis nimirum Pa-
pæ iudicio tandem terminaretur & conquiesceret, id quod sæcundū
atheismi seminarium. Si enim fides Christiana in hominum aucto-
ritatē ultimatè resolvitur, eū veræ fidei nomē nō meretur, quia nimis
fragili ac ruinoso fundamento nititur. Et quamvis nonnunquam
dicatur divinum, testimonium Ecclesie, eatenus, quatenus Scri-
pturae contentianea profert, vel cum ipsa Scriptura loquitur,
divinitas tamen illa non oritur ab Ecclesia, sed à verbo D E I,
quod Ecclesia proponit. Quemadmodum mandatum Regis,
quod à Legato ejus profertur, regium dicitur, non ac si talem
dignitatem haberet à Legato, sed à Rege cujus est, quamvis Le-
gatus illud proponat, sic & se habet cum testimonio Ecclesie.
Conf. Cyrill. Tom. II. oper. lib. 7. contr. Julian. f. 221.

45. 2. *Incertum.* Quia Scripturae testimonium certius est
 testimonio vivæ vocis, tum Johannis Baptistæ *Iob. V. 36.* tum
 Petri II. *Petr. I. 19* & auctoritas Ecclesie ex ipsa Scriptura demō-
 stranda est, quod ipsum vel ex praxi adversariorum constat, qui
 ut probent auctoritatem & infallibilitatem Ecclesie Pontifi-
 ciae, confugiunt ad ipsius Scripturae S. dicta. *Matt. XVI. 16. Iob.*
XVI. 13. c. XXI. 15. Matth. XXVIII. 20. necesse itaque erit, ut Scri-
 ptura sit aliquod notius Principium Ecclesie, ex quo ignotum
 probatur, quo iplo potius nostram sententiam probant, & in
 suæ sententiae probatione circulum committunt. Quando enim

quæro, unde scis Universam Scripturam S. adeoque omnes e-
jusdem partes divinitus esse inspiratas? respondent, quia Ec-
clesia, quæ infallibilem auctoritatem habet id dicit. Sed insto.
Unde autem de infallibilitate Ecclesiæ certus sum, respondent,
quia Scriptura S. quæ habet infallibilem auctoritatem, id dicit.
Quo pacto, ut diximus non tantum in Circulo commean, sed
etiam suæ sententiæ infirmitatem ostendunt, dum Ecclesiæ cer-
titudinem non nisi ex Scriptura S. constare dicunt.

46. 3. *Nō est primū.* Quia Scriptura S. est recepta ante testimo-
niū Ecclesiæ, & prior fuit ipsa Ecclesia, utpote cujus auctor est Sp.
S. II. *Petr. 1. 21. qui Spiritus veritatis est. Job. XV. 26.* Hinc Scriptu-
ra nunquam nos ad Ecclesiam remittit, sed semper ad Scriptu-
ram, quod ex Praxi tam Christi, quam Apostolorum patet. Chri-
stus inquit: *Scrutamini Scripturas. Johan. V. 39.* Saduceos ad
Mosen remittit *Matth. XXII.* Phariseos ad Mosen & Prophetas.
Dives Epulo perens testimonium à mortuis resuscitati pro fra-
trum suorum conservatione, itidem ad Mosen & Prophetas ab-
legatur *Luc. XVI.* Sic & Apostoli in omnibus concionibus, quæ
passim in *Actis* continentur, ad Scripturam V. T. remittebant
Judæos. *Nihil dixi nisi quæ Scripta sunt à Mose & Prophetis,* inquit
Paulus in Apologia sua corā Agrippa Rege *Act. XXVI. 22.* Conf. *i-*
psum Bellarmin. lib. I. de V. D. c. 2 §. Christus. Deinde ipsi Adver-
sarii concedunt Scripturam S. esse Principium & quidem pri-
marium, quomodo autē principium aliquod prius se habeat.
Remanebit ergo aut Scripturam non esse Principium, aut eam
non dependere à Testimonio Ecclesiæ. Nam si testimonium
Christi majus est testimonio Johannis, multo majus erit testi-
monium Scripturæ, quæ testatur de Christo *Job. V. 39.* quam Ec-
clesiæ aut Pontificis Romani.

47. Excipiunt Pontificii: quamvis Ecclesia non sit pri-
mum fundamentum sive Principium, posse tamen dici secundū
ut censeat *Bellarmin. lib. 3. de V. D. c. 10. in Resp. ad 13. Arg. p. 65.* Ideo
enim credimus, quicquid credimus, quia id Deus per Prophetas &
Apostolos revelavit. Sed addimus præter hoc fundamentum primū
requiri aliud fundamentum, secundarium, id est, Ecclesiæ testifica-
tionem,

tionem. Neque enim scimus certè, quid Deus revelavit, nisi ex testi-
 monio Ecclesie. Verum videat Cardinalis, quomodo cum seipso
 conveniat, lib. enim 3. de Eccles cap. 10. §. Ad hæc, p. 56. scribit:
Scriptura Traditiones & omnia planè dogmata ex testimonio Eccle-
sie pendent, & lib. 4. C. 2. §. Dices p. 67. Dices, inquit, saltem scrip-
ptura est notior, quam Ecclesia, quandoquidem inde probatur Es-
clesia. Respondeo. Simpliciter esse Ecclesiam priorem ac notio-rem,
quam sit scriptura. Quod si verum est tunc Ecclesia non erit Se-
cundarium, sed primarium fundamentum, à quo Scriptura, tã-
quam secundarium dependeat, & ex eo, tanquam, ignotius in-
notescat. Hæc tam contradictoria sunt, ut convenire invicem
nullo modo possint. Deinde ad Principium requiritur non tan-
tum, ut sit primum, sed & sufficiens, ut non opus habeat alio ad
sui probationem. Quale enim esset Principium, si adhuc ad suã
sufficienciam opus haberet alio, item si ante se prius & superius
agnosceret. Sed instant: Ecclesia est notior ipsa scriptura, prius e-
nim constat de Doctoribus quam scriptura. Respond. Dist. inter id
quod est notius natura, & sic utique scriptura notior est Docto-
ribus: & inter id, quod est notius quoad nos, & sic Doctores no-
tiores quodammodo dici possunt. 2. Distinguendum inter no-
tiriam confusam: & distinctam. Priori quidem prius cognosci
possunt Doctores, posteriori verò non. Debemus enim probare
Spiritus, an ex Deo sint? Hoc verò nullo alio modo fieri potest
nisi secundum ductum Scripturæ S., quæ proponit notas vero-
rum Pastorum. Imò ipse Bellarmin. lib. 1. cap. 2. de V. D. dicit:
Sacris Scripturis, quæ Prophetis & Apostolicis literis continentur
nihil est certius, nihil notius. Plura, qui hæc de re desiderat adeat
B. Gerhard. loc. de Eccles. §. 142. p. 861. seq. Huc facere videtur Hi-
storia, quæ recensetur ab Amesio Tr. de circulo Pontificiorum p. 64.
Philippus Marnixius nobilis quidam & ingeniosus Gallus, in fa-
miliari quodam colloquio, quod cum Cotono Jesuita dicitur habuis-
se, proposuã quæstione de Ecclesie auctoritate, majorne ea sit, quam
Scripturæ? Optionem dedit Cotono, qui affirmativam elegit, ad
eam verò demonstrandam vocatus, fugit statim ad scripturam, tunc
Marnixius ad spectatores conversus, unũ, inquit, quarum ego prius-
quam

quæ respōdeã, utra major sit auctoritas probãs an qua probatur. Imò vero probãs jure meritoq; major habetur, inquiūt. Major igitur ait ille, erit scriptura, quam Ecclesia auctoritas, hanc enim per illam solum conatur probare Coconus. Non ingeniose magis quam solide adversarii telum in proprium retorquebat jugulum. Urgent quidẽ antiquitatem Pontificii, dicentes : Antiquiorem esse Ecclesiam ipsa scriptura, antequam enim libri scriptura à scriptoribus conscripti sint, Ecclesiam iam dudum extitisse. Verum neque hæc exceptio firmo stat talo. Distinguendum enim inter materiale Scripturæ S. & formale. Quamvis quoad materiale, hoc est, quoad literas & voces non semper extiterit scriptura, tamen quoad formale Ecclesiã & omnibus cœtibus est antiquior. Per verbũ n. colligitur Ecclesia, quod cum semen sit incorruptibile, per quod homines regenerantur & filij Dei redduntur *Jacob. 1. 18. 1. Petr. 1. 23.* non potest non esse prius ipso fructu sive effecto. Sic statim in Paradyso per prædicationem Prot-Evangeliij, lapsu jam commisso, colligebat Deus per verbum sibi Ecclesiam in Adamo & Eva. Sic & Christus prius prædicabat & miracula edebat, quam Apostoli & Evangelistæ scriberent. Conf. ea, quæ dicta sunt ex *Arminio Thes. 43.*

48. 4. *Non est summum.* Quod tamen requiritur ad Principium, quia supra se aliud superius agnoscit, Scripturam S. facente *Bellarmin. lib. 3. de V. D. c. 2. Resp. ad 13. argument. p. 65.* cujus verba vid. *Thes. 47.* Hinc Ecclesiæ auctoritas ab ipsa Scriptura dependet, partim ratione constitutionis, quia per verbum constituitur Ecclesia, partim ratione cognitionis, quia non aliunde scire aut cognoscere possum, quod sit, & quid sit Ecclesia, nisi ex Scriptura S. in qua notæ veræ Ecclesiæ proponuntur, quod ipsi adversarij facto suo probant, de quibus pluribus *Thes. precedentibus 46. & 47.* actum fuit,

40. 5. *Non est perpetuum.* Quia auctoritas Ecclesiæ non valet apud omnes, cum primis infideles, qui eam vel planè rejiciunt, vel in dubium vocant. Et præter à sæpius fit conversio & assensus sine testimonio Ecclesiæ. Potest enim evenire ut Paganus alteri det Biblia, neuter verò sciat, quid ibi contineatur legens

4.

legens tamen ex vi & efficacia verbi convertitur sine propositione Ecclesiae. Imò ipsi adversarii confitentur, assensum hominis non esse, nisi ex verbi divini efficacia. Bellarm. lib. 6. cap. 1. de gratia & L. A. §. Tertium, ita scribit: *Nulla persuasio hominem cogere potest ad credendos articulos supernaturales, ac ne ipsa quidem miracula omninò mentem convincere queunt & cap. 3. §. Ad quintũ. Argumenta quæ articulos fidei nostræ credibiles faciunt, non talia sunt, ut fidem omninò indubitata reddant, nisi mens divinitus adjuvetur. Sic & Gregor. de Valent. T. 3 in Thom. Disp. 1. art. 1. punct. 4. argument. 18. §. Cum enim. Nescio, inquit, an sit argumentum majus iis omnibus (quæ hætenus recensuerat, quorum 17. fuerant) quod vel hætenus fecimus, vel ratione similiter excogitari possit, sed propter aliud nescio quid, quod alio quodam modo, & longe fortius, quàm ulla argumenta, animis nostris persuadet (est autem id revera divinũ ipsum testimonium) quo ad firmiter credendum moveri se intelligat, qui verè sunt Christiani. Et §. sequenti pergit: Hanc verò experientiam divini Testimonij & sensum licet per se quidem non satis sit evidens, tamen quoniam ab iis, qui credunt propemodum clarè percipitur, & ab aliis etiam in credentibus ipsis animadverti potest, dico præ multis argumentis esse debere, ad fidem vel constantissimè retinendam, vel etiam de novo suspiciendam. Et enim quod minime vanus hic sensus sit, sed divinus & solidus, & ortus ex natura supernaturalis fidei, quæ mentem ipsam per se in divina revelatione faciat firmiter acquiescere: fructus optimæ & sanctissimæ vitæ ostendit eorum, qui ad normam Christianæ fidei actiones suas studiosè instituunt. Ex quibus satis patet, quod testimonium Ecclesie sit infirmum, fallibile & non perpetuum, minimè verò convincens.*

50. 6. *Non solum.* Quia ipsis adversariis confitentibus, uti modò dictum est, præter Ecclesie testimonium tanquam fundamentum secundarium, datur ipsa Scriptura S. tanquam primum. Jam verò ad Principium probandi requiritur, ut sit solum ac sufficiens, & supra se non habeat prius, quæ omnia de Ecclesie testimonio dici non possunt. Neque enim in eo subsistere possumus, necesse itaque est, ut accedat verbi efficacia
G & Spi

& Spiritus S. testimonium. Plurima Exempla occurrunt in
ipsis *Actis Apostolorum*, ubi Evangelium prædicatum fuit o-
mni populo, etiam Barbaris, qui licet Ecclesiæ auctoritatem
non agnoscerent, vi tamen & efficacia verbi divini conversi sũt,
ut deinceps eidem fidem adhiberent & firmissime crederent,
verum id esse Dei verbum, quod proponebatur. Sic Audi-
tores Petri, qui initiò admodum contumaces erant, neque Ec-
clesiam Apostolorum, neque eorundem auctoritatem admitte-
bant, postea tamen sine testimonio Ecclesiæ solo verbo Dei cõ-
versi sunt, uti ordine constat ex *Act. II. 13* Primò dicebant Apo-
stolos esse plenos dulci vino. Deinde Petrus orditur concio-
nem suam de JESU Nazareno vers. 22. Audito sermone, *compun-
cti sunt corde*, dicentes ad Petrum & reliquos Apostolos: *Viri
fratres quid faciemus? vers. 37.* Et tandem *vers. 42.* baptizati sunt.
Et addita die illo animæ quasi ter mille. Simile exemplum oc-
currit *Act. XVII. 18. 19. 31. 32. 34.* & alibi.

51. 7. Deniq; non convincens, sed saltem manuducens ad
Scripturam S. *Ut enim Aurifaber aurum non facit, ut Tabellio ta-
bularum sive literas non scribit, sed saltem profert & exhibet, ut præco-
dictum non fingit & exarat, sed saltem promulgat & declarat, ut
Bubulcus Cyro expositio dignitatem regiam non contulit, sed tantum
de re gestâ testatus est: ita Ecclesia de Scriptura, quam audivit & no-
vit testatur, veritatem autem, quam in se & ex se habet non imper-
tit, scribit Himmel Syntagm. Theol. Disp. 2. Thes. 24.* Huc referri pos-
sunt confirmationes adversariorum, Bellarm. lib. 1. c. 2. de V. D. su-
prà adducti. Bielis, Canisii, Fricii, Cajetani, Hosii, Steuchii, Greg. de
Valentia, quos vid. apud B. Gerb. Exeg. L. 1. §. 46. p. 67. Tandem
quoque ex absurdo & testimonio Patrum sententiam nostram
probare possemus, quod tamen, cum ab aliis jam factum, ne
prolixiores simus, nunc prætermittimus, benevolum lectorem
ad B. Gerb. Exeg. L. 1. §. 44. 45. p. 65. 66 Tarnov. prolegom. in Johan.
cap. 3. q. 2. p. 35. 37. Dn. D. Dorsch. Theolog. Zacharian. Disp. 2. part. 2. loc.
1. q. 2. §. 66. Porism. 1. p. 133. seq. Gerhard. Confess. Cathol. lib. 2. Artic. 1. c.
5. p. 280. remittentes. Coronidis autem loco testimonia quæ-
dam ipsorum Pontificiorum pro nostra sententia facientia ad-
duci-

4.

Aucimus. Jus Canon. dist 9. c. Quis nesciat, ita habet: Quis nesciat S. Scripturam Canonice tam V. quam N. T. Certis suis terminis contineri eamq; omnibus posterioribus Episcoporum literis ita proponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit, utrum verum, vel utrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit? Bellarm. lib. 3. de V. D. c. 10. Respons. ad 4. argument. p. 65. scribit: Non judicat Ecclesia de veritate Scripturae, sed de intelligentia tua, & mea, & aliorum, neq; hinc sumit verbum D E I aliquod robur, sed intelligentia nostra: non enim Scriptura verior est & certior, quia ab Ecclesia sic exponitur, sed mea sententia est verior, quando ab Ecclesia confirmatur. lib 3 de justif. cap. 3. §. At inquit. p. 350. Probatio Ecclesiae facit, ut omnibus innorescat objectum illud revelatum esse à D E O, & propter hoc certum & indubitatum: non autem tribuit firmitatem verbo D E I aliquid revelantis. lib. 2 de Concil. c. 12. §. Dicuntur. p. 35. Concilia tunc definiunt, quoniam sint libri Canonici & divini, non faciunt, eos esse infallibilis veritatis, sed declarant saltem esse tales. lib. 1. de V. D. c. 10. §. itaq; p. 14. Fatemur Ecclesiam nullo modo posse facere librum Canonicum, de non Canonico, nec contra, sed eantum declarare, quis sit Canonicus. Greg. de Valent. Disp. 1. quest. 1. punct. 7. p. 310. §. Tertium. Habet enim modus ille Scriptoris Canonici nescio quid majoris dignitatis, propterea, quod non tam ipse scriptor agit in eâ re quam agitur, nec videatur proinde, nisi Deus ipsemet per Scripturam loqui. Accedit, quod Ecclesia ipsa nititur in suis definitionibus Scripturae auctoritate, tanquam fidei, quodam fundamento, ob divinam revelationem, quae Sacris ipsis literis continetur. Quae omnia efficiunt, ut secundum nos quidem, & secundum modum utriusq; auctoritatis, major quaedam in Scriptura, quam in Ecclesia dignitas esse videatur. It. l. c. p. 337. §. in banc. citat Augustini dictum, lib. de Unitate Ecclesiae cap. 3. Non audiamus: haec dico, haec dicis, sed audiamus, haec dicit Dominus.

52. Explicatâ jam & probatâ nostra sententia ad adversariorum sententiam nos convertimus, qui cum diversi sint, in diversas quoque classes collocandi veniunt, quarum 1. erit Pōtificiorum. Hi iterum in duplici sunt differentia. Quidam enim Scripturam S. ejusque auctoritatem nauci nihilque faciunt, &

cum Fabulis naniisque comparant, alij vero eidem authorita-
tem concedunt, sed limitatam, ita ut eam vel à Traditionibus
non scriptis, vel Ecclesia, vel Pontifice Romano, dependere
dicant. Priores sunt *Franciscus Fevardentius in Theomachiâ Cal-
vinistica*, qui ita docet: *perperam creditis* (scil, quod verbum in
Scriptura S. contentum sit verbum Dei, à quo solo suam accipis
at authoritatem, & non ab hominibus, uti nostratum senten-
tiam proponit, & eidem suam opponit) *quoniam plurima ibi
sunt contenta verba Diaboli, ut statim in ipso Principio Geneseos 3.
cap. Plurima item at heorum Job. 21. Plurima deniq, blasphemantium
& Christi adversariorum, ut Matth. 11. Luc. 11. & reliqua ejus gene-
ris, quod imprudentes non excepistis.* Eandem sententiam defendit
Job. Andreas Cloppensteinius contra B. Himmelium & Nigrinum,
quos ijdem authores refutant, & quidem prior *Disput. 2. pro Con-
eordiâ Papæ Calvinisticâ habita Thes. 19.* alter vero in peculiari
tractatu cui nomen assertio loci *Fevardentij contra Cloppensteinium.*
Vitus Miletus discuss. lib. Hesbus. de 600. Error. Pontific. pag. 21. ita
scribit: *Dicimus S. Scripturam si authoritatem tollas Ecclesie, nec
tantum quidem valituram, quatenus Æsopi valent Fabule, has e-
nim esse Æsopi Fabulas nec adeo incongruentes hominum moribus,
certâ traditione hominum constat: Scripturas verò esse Canonicas
& à DEO immediate inspiratas, fideliter & incorruptè scriptas & ad
nos usq, transmissas, si Ecclesie tollas authoritatem & traditionem,
unde obsecro olearii isti cognoscent: Cum hoc consentiunt Eckius,
Wolfgangus Hermannus Hosius T. 1. oper. adversus Brentij prole-
gomen. Hereticus quidam apud Sleidanum in historiâ Ann. 1553.
uti recensent eandem DD. Theolog. & Professores Wittebergenses
in der Warnungs Schrift/ daß man die Pâpstische Lehre mei-
den solle cap. 3. pag 96. Hieher gehört die Historia so Sleidanus l. 25.
erzehlet / daß nemlich im Jahr Christi 1553. zu Lugdun neun
Personen Verbrennet worden/ darunter als einer mit Nahmen
Ludovicus Marsacus zu rettung seines Bekändniß viel Zeugniß
aus der Schrift angeführet / Haben die Ketzmeister gesagt:
Woher kanstu wissen das die Bücher die H Schrift seind? Mu-
stu nicht in diesem Stücke dem Zeugniß der Catholischen Kirche
trauen*

trauen vnd Glauben? Ja der Königliche Amptman hat dazu
gesagt. Es weren nur zweë Evangelisten Mattheus vnd Johannes
die andern beyde / wie auch Paulus / weren gleich den geflickten
vnd gestückten Bettlers Mänteln. Vnd wenn die Kirchenleh-
rer Paulum nicht so hoch erhoben hetten / wolte er für seine Per-
son von den Episteln Pauli nicht mehr halten / als von den Fabeln
Esopi. Vnd als *Marsacus* zur Antwort gab von Pauli Veruff vnd
Ampte / weren in der H. Schrift sonderlich zum Galat 1. Herli-
che Zeugnisse vorhanden / Hat der Amptman gesagt / daß hilfft
nichts zur Sache / denn er zeigt von Jhn selber. Also hat *Hosius*
lib. 3. de Script. Autor. Die Gotteslästerung *Wolfgangi Her-*
manni zu behaupten sich nicht geschämet: Es würde die Heilige
Schrift wo sie nicht von der Kirche ihr ansehen empfienge / nicht
mehr als die Fabeln Esopi gelten. Conf. & *Thum.* in der Frag / ob
ein Evangelischer Christ sich mit gutem Gewissen zur Pöpstlichen
Religion geben könne prolegom. pag. 2. Eandem in *laniam deli-*
rant, qui *Scripturam S. gladio Delphico, muto Magistro &*
nescio quo cum comparant, ut Hosius de Expresso D E I verbo
Tom. 1640. 625. Turrianus contra Sadeel. Priorias adversus Lutherū
& alij, quorum verba apponere chartæ Angustia prohibet, inte-
rim videri possunt apud Nigrin. tr. de Implet. Legis pag. 594. seq &
apud nostrates passim.

33. Posterioriores sunt, qui ab Ecclesia vel Pontifice R. vel
etiam traditionibus Scripturæ autoritatem dependere contē-
dunt, ut *Hosius Tom. 2. de expresso D E I verbo pag. 3. Scriptura in*
seipsa, inquit, non est expressum D E I verbum, cui nos obedire o-
porteat, nisi juxta sensum & consensum Catholicæ Ecclesie expona-
tur. Stapleton, in Relect. Princip. Fid. controvers. 4. quest. 5. p. 495.
Ecclesia potest dici major Scripturis, & exercet superiorem quandā
autoritatem. Ipsa enim taxavit verbum Dei. Bellarmin. lib. 2. de
Sacrament. cap. 25. §. Tertium pag. 86. Si tollamus autoritatem
presentis Ecclesie, & presentis Concilij (Trident. in de quo ipsi ser-
mo erat) in dubium vocari possunt omnium aliorum conciliorum
decreta, & tota fides Christiana. — Et præterea omnem Concilio-
rum Veterum, & omnium dogmatum firmitas pendet ab autoritate

presentis Ecclesie & lib. 6. de gratia & L. Arbitr. cap. 3. §. Jam igitur pag 280. Nam si quis ab hæreticis petat, unde habeant DEUM revelasse hunc articulum, aut illum? Respondebunt, ex divinis literis. At si quis urgeat unde habeant divinas literas id significare, quod ipsi dicunt, cum alij aliter Scripturam intelligant: imò etiam, unde habeant, has esse divinas literas: nihil omninò respondere poterunt, nisi se ita judicare: judicium enim Ecclesie, quod unum Deus innumeris signis & prodigijs, alijsq; testimonijs plurimis infallibile esse declaravit, iam ipsi rejecerunt, & unus quisq; ad se judicium divine revelationis interpretanda revocavit. Quis a. possit, nisi valde temerè credere sui ipsius judicium de rebus divinis infallibile esse, cum hanc infallibilitatem, nulla neq; divina promissione, neq; humana ratione probare possint. At Catholici fidem omninò habent certam & infallibilem, quoniam credunt id, quod credunt, quia Deus revelavit. Deum autem revelasse credunt, quoniam Ecclesiam ita dicentem vel declarantem audiunt, quam errare non posse, non temere credunt, cum testimonia ejus ex plurimis signis & prodigijs, alijsq; multis argumentis, & c. credibilia facta sint nimis. Lib. 4. de Verbo DEI non scripto cap. 4. §. Præterea pag. 69. Non aliunde habemus Scripturam esse divinam, & qui sint libri Sacri, quam ex Traditione non scripta. Sylvester Prierias, Pontificem R. supra Scripturam esse, & eandem ab eo dependere contendit apud B. Luther. T. I. G. Jen. f. 58. a. seq. quem ibidem refutat THOMAS RACONUS in Analyfi apud Vitum Erberman. Examin. Examinis Congringiani hoc ipso Anno edit. pag. 73. Quod si quis, inquit, CACONUS) à me petat, unde scis JESUM CHRISTUM esse mundi Salvatorem? Respondeo quia divina litera id docent. Unde scis has literas esse divinas? Respondeo, quia Ecclesia à Spiritu S. edocta eas infallibili auctoritate proponit. Unde scis Ecclesiam hanc infallibili præditam auctoritate, ac veritatis Magistram à DEO constitutam esse? Respondeo, me id credere propter auctoritatem DEI loquentis, & sonantis per eandem Ecclesiam. At unde scis, DEUM per os Ecclesie verè loqui? Respondeo, me id credere, quia volo; seu quia voluntatis imperio flecta & captivo intellectum in hoc fidei obscura obsequium. Unde verò tibi hæc voluntas captivandi Te &

46
acceptandi hanc Ecclesiam, ut regulam fidei vivam & organum DEI?
Respondeo, quia perspicue video, id adeo rationi, honestati & prudē-
tie legibus congruere, ut manifesta sit temeritatis, impietatis ac in-
sanie in re tanti momenti id non facere. Quod si demum instes,
unde clare scis, creditu dignissimum esse, quod hæc sit vera & infallibi-
lis DEI Ecclesia? Respondeo, quia evidentissimum est, huic Ecclesie
eas notas ac proprietates inesse, quæ cætera quacunq; Dei Organa
reddidere hominibus credibilia, quæq; ad hoc jure desiderari queunt.
Evidens enim est, hunc cætum hominum, Romano scil. Pontifici, ut
Capiti visibili junctam congregationem, ab Apostolis plantatam esse,
nemine in dubium id vocante. Evidens est, eam hucusq; per-
sistere, cum perpetua Pastorum & Doctorum successione, in Unius Dei
& Salvatoris confessione. Evidens est, in eâ semper floruisse plu-
rimos Sapientiâ, vitæ innocentia, seculi contemptu, miraculorum glo-
ria ac ipsa sanguinis profusione conspicuos. Evidens est, vetera Pro-
phetarum vaticinia de splendore & amplitudine veræ gentium Eccle-
siae ei mirifice convenire. Evidens est, in ea esse summam doctrinae
consensionem, nullas sectas, ac deniq; nullam in ea unquam factam
esse doctrinae ad fidem pertinentis mutationem, quicquid frustra id
Novatores evincere conati sint. &c. Huc referri possunt cæteri
Pontificii, qui hanc sententiam fovent, ut Thomas Morus con-
tra Lutherum lib. 1. cap. 8. Johannes Maria Verratus Carmelita,
Tapperus in Orat. Theol. §. 3. Petrus à Soto in Confess. Cathol. de Ec-
clesia, Cusanus Epist. 2. ad Bohem. Pighius lib. 1. Hierarch. Eccles. cap.
2. Thomas Botius lib. 16. de signis Ecclesiae c. 10. Pistor Hodig. p. 2.
Jus Canonic. c. Si Romanorum Dist. 19. Vincentius Lunell. Rut-
land. Alfons. de Castro lib. adversus haeres. cap. 5. Surdisius Cardinalis
in Catechism. Caranza controvers. 2. prolegom. ad summa concil.
Matthias Aguenfis in Catholic. doctrin. assertionem lib. 1. Armand.
in Epist. ad Chamier pag. 21. Greiser. cap. 7. tract. 1. Unde scis Col.
1907. Johannes Viguierius in Instit. Theolog. de virtute fidei pag. 277.
quos vide apud Nigrin. tract. de Implet. Legis pag. 594. 695. seq. B.
Gerh Exeges. Loc. 1. pag. 54. §. 37. Confess. Cathol. lib. 2. artic. 1. cap.
5. pag. 275. 276. seq. aliosque nostratum. Et hæc sententia fuit
Pontificiorum, quam refutant præter Gerbard. l. c. Strigelius part.
3. Locorum L. de Ecclesia cap. 5. pag. 106. Hunn. Diasceps. p. 126. §. 209.
Rung.

Rung. tract. de norma & Judice Controversiarum, cum primis p. 198.
B Meisner. Disput. cui inscriptio Dica Pontificiis inscripta de aucto-
ritate Scripturae S. aliq³ passim in thesibus citati. Conf. & Armin.
Disput. Theol. 1. de auctoritat. Scripturae S. & 1. privat. Thes. 6.
seq.

54. II. Swengfeldii nobilis Silesii statuentis, scripturam non
esse verbum Dei, sed saltem filium DEI secundam personam per
verbum indigitari, verba ejus haec sunt: *Scriptura non est Verbum
DEI sed Christus est illud ipsum verbum. Scriptura non est verbum
DEI, in quo fidem exercere debeamus, Vid. Tom. 2. Gießens: Diss. 7.
Thes. 22. pag. 219.*

55. III. Calvinianorum. Qui rationem vel secundum
Principium esse, vel rem fidei confirmare posse contendunt,
vel etiam Patres & Concilia tanquam Principia admittunt.
Keckerm. Syst. Theol. lib. 1. cap. 9. p. 166. *Tantum de principio pri-
mario sive directa DEI patefactione: Secundarium & indirectum
divinae patefactionis medium, vel est Universale vel particulare. U-
niversale est decretum Ecclesiae in Universali aliqua Synodo s. conci-
lio factum. p. 167. Hoc loco scire sufficit, quanta sit Conciliorum tum
generalium, tum provincialium auctoritas in probandis dogmati-
bus fidei, videlicet non primaria s. directa, sed secundaria, & indi-
recta tantum. p. 169. Medium (probandi) particulare, est vel Pa-
trum, vel recentiorum Theologorum. Goclen. part. 1. Miscell. à Ra-
tione fidem stabiliri posse affirmantis. Palatin. in Außfürlichen Be-
richt c. 5. 30. Keckerm. praecognit. Phil. 1. 1. c. 4. p. 30. It. lib. 3. Syst.
Log. cap. 9. Vedel. lib. 3. cap. 7. Rational. Theol. Sadeel. in lib. de
Hum. Natur. & manducat. Maçon part. 1. Anatom. Univers. Tri-
ump. p. 571. quos refutatos vide ap. Magnif. & Reverendiss. Dn. D.
Weller. Patron. & Promot. summâ reverentia colendum, Anti Mas-
son. 1. Diss. 4. Magnif. Dn. D. Hulseman. in Calvinism. irreconciliab.
Clas. 3. argument. §. 2. Gerb. L. 1. de Script. S. §. 164. cap. 11. p. 154. a
liosque.*

56. V. Photinianorum. Socin. lib. 1. de Auctor. Script. S. p.
78. 79. statuentis: *Argumenta, quibus auctoritas Scripturae S. pro-
batur, non esse talia, quibus se nemo ulla ratione opponere queat, i-
mò er-*

modo errare eos, qui ejusmodi argumenta postulant, qua unicuique
 ejus rei certam atq; indubitatam fidem faciant It. p. 80. Scripta N.
 T. non esse ejusmodi, ut nemo ulla ratione negare possit, ea verissima
 esse. Quin voluisse Deum satis esse, si haec scripta ejusmodi forent, qui-
 bus jure & possit & debeat fides adhiberi, talia demum, ut ei, qui
 probus est, aut ita comparatus, ut probus evadere facile queat, sint
 satis, ei verò qui improbus est, & pra malitia sua probus fieri nequit,
 non sint satis. It. part. 3. de servat. Christ. cap. 6. Ego quidem etiã
 si non semel, sed saepe id in monumentis sacris scriptum extaret,
 Christum pro peccatis nostris divinae justitiae satisfacisse, non idcirco
 tamen rem prorsus ita se habere crederem, ut vos opinamini. Ea,
 quae fieri non posse, apertè constat, divinis oraculis eo facta esse, in spe-
 cie attestantibus nequaquam admittenda esse, & idcirco S. verba in
 alium sensum, quam ipsa sonant per inusitados etiam tropos quando-
 que explicanda esse. It. cap. 2. sed nec unquam id disertis verbis à S.
 scriptoribus dictum fuisse invenimus, Dominum Jesum, dum Crucis
 mortem subiit innocentissimus, universas penas nostris peccatis de-
 bitas, pertulisse: nec si ubiq; Clarissimis verbis testatum reperiremus
 sic tamen rem se habere non compertum esset. Contra quos vid.
 Admod. Reverend. & Excellent. Dn. D. Calov. Socinism profligat
 Disp. 3. Controvers. 6. p. 77. seq. B. Meisn. Considerat Theol. Photin. c
 A. p. 306. 313. 314. seq.

57. V. Arminianorum. Qui judicium de Scriptura rati-
 oni committunt, neque Spiritus S. testimonium necessarium es-
 se affirmant. Episcop de Authorit. Script. S. Thes. 1. Testimonium
 Spiritus S. ad id necessarium non est, ut Sacram Scripturam divinã
 esse, & divinam auctoritatem habere intelligatur. Confess. Remon-
 str. cap. 1. de Script. S. §. 16. p. 7. Sensum autem nativum & litera-
 lem appellamus, non tamen eum, quem verba propriè sumta prae se fe-
 runt, (ut quidem saepissimè accidit) quam eum, qui licet verba rigi-
 dè accepta eum non insinuent, tamen rectè rationi & ipsi menti atq;
 intentioni ejus, qui verba protulit, convenientissimus est, sive ille
 propriè sive figuratè enunciatus sit. Apol. c. 25. f. 289. Nemo obligatur
 ad verum verbi divini sensum sequendum contra conscientiam suam

H licet

*hæc erroneam. Quod in Vedel. Rhapsod. p. 17. non tantum Remō-
strantium dogma, sed communem penè omnium Doctorum senten-
tiam esse affirmant. Conf. Vedel. de Arcan. Arminian. lib. 1. c. 2. 3.
4. p. 9. seq. Contra hos disputat Pl. Rev. & Excellent. Dn. D. Calov.
in Considerat. Arminian. Disp. 3. §. 10. p. 4. seq.*

58. Jam fundamenta adversariorum proponenda atque
examinanda essent, quia tamen partim ex distinctionibus in
Thesibus allatis decidi possunt, partim etiam in thesibus,
partim denique ab authoribus passim in disputati-
one citatis refutantur, & ibi legi possunt, si-
lum hic abrumpimus, gratias immor-
tales immortalis Numini, quod
divina sua gratia atq; beni-
gnitate nobis adesse
voluerit, agen-
tes.

Soli DEO Gloria



Coll. diss. A. 200, misc. A